AZ.
III

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
A
19
NAPOLI

XVII
a
19



Inter libros
Josephi Mariae Parascandolo
Antecessoris Regii
A. L. N.

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HIPPOLYTI
a COLLIBVS
INCREMENTA VRBIVM:
Siue
DE CAVSSIS MAGNITVDINIS VRBIVM,
Liber vnus.
Nunc primum in lucem editus.



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium,
M D C.

Digitized by Google

[illegible] Google

GEORGIO,
ERPACI COMITI
ILLVSTRISSIMO.

FECIT illuſtriſſime ac prudẽtiſſime COMES, humanitas tua incredibilis, quam cum pari coniunctam grauitate exornat generis gloria, cognitio rerum maximarum, ſpectata in omni genere Virtus, & in ampliſſimis honoribus moderatio ſingularis, vt Erpaco abs te (Sereniſsimum Principem meum anno ſuperiore ſecutus) diſcedẽs, idẽ mihi euenire ſenſerim, quod iis qui Solem aliquantisper ob-

tuentur contingit; vt quocunq; poſteaoculos aciemque conuertant, diu eamdem orbis pellucidi verſicoloribus diſtinctam ſpeciebus imaginem ſecum circũferant. Ita enim in tui admirationem raptus, officiorumq; magnitudine tibi deuinctus fui, vt vix quoquã ex eo me poſtea cõuerterim, vix fecerim quidquã, quin tu mihi pater, Phæb⁹, tecũque liberi tui tãto patre digniſsimi ſubinde occurreretis; nihilq; magis cõcupierim deinceps, quã veſtro amore, quem erga me ſingularem oſtendiſtis, dignus videri. Domum itaq; reuerſus, dũ inter alia & ſermonẽ illum tuũ reputo mecum, quẽ de noua tua quam ad Mœni ripam ſtatuis vrbe

vrbe HEIBACO nobiſcum cõtuleras; eaq́; diligentius omnia perpendo quæ a te de ſitu vrbiũ, ædificiis, priuilegiis, legibus obſeruata dictaque memineram: cœpi in cauſſas magnitudinis vrbiũ curatè inquirere: principiò non aliam ſane ob cauſam, quã vt vbi eadem de re iteratò verba facere cõtigiſſet, ſolidius diſputarem. Verùm cum poſtea continuata lectione & non mediocri ſtudio, ea quæ ex philoſophis & hiſtoriarum ſcriptoribus excerpſeram, in iuſtum volumen & ordinem quẽdam excreuiſſe nimaduerterem: tunc mutato riore conſilio, & in lucẽ hęc eere, & tibi humaniſſime Comes, iſcribere placuit; non ſolum vt

animi grati erga te teſtimonium meum extaret aliquod, ſed etiã quia ęquum eſt, vt quo auctore nouum quod opus concinnatũ ſit, eodẽ auſpice prodeat. Adde quod vnus tu rerum iſtarum optimus prudẽtiſſimusq; æſtimator, qui ad ſalutem ciuium populorumq; incolumitatem, & vitam multorum quietã & beatam natus, eaq; prudentia ſis, vt nouam ipſe vrbẽ per te deſcripſeris, fundaueris, ſtatueris; qua laude maiorẽ Reges magni nullam cenſuerunt. Tuum erit, amplecti huncce meum conatum & ſi vires animo non reſponderint, etiã ignoſcere. Serena aut fronte munuſculũ hoc accipies ſi cogitabis, non eamdem ad re

munc

munerandum mihi, quam tibi ad bene de me merendum eſſe facultatem. Vale Comes inclyte,

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

CAP I, *De vrbium origine & fine.*
2, *De Vrbium ſitu ex aëris ſalubritate.*
3, *De vbertate ſoli.*
4, *De vrbium amœnitate.*
5, *De vrbibus, quas flumen, lacus vel mare alluit.*
6, *De vrbibus bene munitis.*
7, *De vrbium commoditate, elegantia & magnificentia.*
8, *De vrbibus ad vias Regias, vel in Imperii finibus ſitis.*
9, *De thermarum ſalubrium opportunitate.*
10, *De vicinitate metalli fodinarum & mineralium.*
11, *De vrbibus quæ Academiis, Collegiis vel Bibliothecis florent.*
12, *De vrbib. quæ magnorum Principũ aulis, vel ſummis dicaſteriis clarent.*
13, *De vrbibus quas nobilium multitudo incolit.*
14, *De vrbibus quæ negotiationibus & mercimoniis claræ ſunt.*
15, *De vrbibus in quibus opificum omnis generis magna eſt copia.*
16, *De vrbibus quæ ius ciuitatis facile peregrinis & aduenis tribuunt, ciuibusq; priuilegia*

Digitized by Google

uilegia varia largiũtur & conſeruant.
17, *De vrbibus quæ matrimoniis fauent.*
18, *De vrbibus in quibus aſyla.*
19, *De crebris ſpectaculis, miſſilibus, publicis conuiuiis, aliisq; ludis.*
20, *De vrbibus quæ ærario ſtudent.*
21, *De vrbibus quæ annonæ curam prudenter gerunt.*
22, *De iis qui diuerſa oppida in vnum contrahunt, vel vicinas vrbes diruunt.*
23, *De vrbium legibus & Politeia.*
24. *De vrbibus nonnullis quæ ad ſummam magnitudinem peruenerunt.*

Digitized by Google

CAP. I.

De vrbium origine & fine.

HOMO ſocietatis eſt appetẽs & vtilitatis; inde fit vt ſuapte natura ſe ad cœtus conferat, a quibus parata ſibi videt adiumenta vitæ iucundius, commodius tutiusq; degendæ. Quis tantæ vmquam induſtriæ tantæque ſollertiæ repertus, qui neceſſaria ſolus ſibi ipſe ſubminiſtrare & ſe ab aliorũ iniuria tueri potuerit? Conueniendum hominibus profectò, vendando, accipiendo, commutando, communicando, alter alteri quod ſatis eſt, ſuppeditaret, fuit. Hinc primò factum, vt plures familię vnum in locum conuenerint, vnâque certis legibus habitare cœperint: hinc vici, hinc pagi, hinc oppida: ex domorum enim coniunctione vici; ex vicorum continuatione, pagi; quibus cum imbecilliores a valentioribus ſe tueri nequirẽt, loca naturâ munita & tecta conqui-

conquirere, aut arte munire neceſſitas fuit; foſſa, vallo, mœnib. & turribus; vnde oppida & vrbes. *Tum res cõmunem vtilitatem continentes*, ait Cicero [a] *quas publicas appellamus; tum conuenticula hominum, quæ poſtea ciuitates nominatæ ſunt; tum domicilia coniuncta, quas vrbes dicim⁹, inuẽto & diuino & humano iure mœnib. ſepſerũt*: & Horati⁹: [b]

---- dehinc obſiſtere bello,
Oppida cœperunt munire, & ponere leges. & alibi: [c]
Syluestres homines ſacer, interpreſque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.

[a] Pro Seſtio.

[b] lib. 1. Satyr. 3.

[c] De arte.

Oppidum ait Iſidorus, quidam ab oppoſitione murorum dixerunt; alii ab opibus recondendis; eo quod ſit munitum; alii, quod ſit in eo conuentus habitantium, & opem det mutuã contra hoſtes. Cæſar [d] autem, *Oppidũ* inquit, *Britanni vocant, cum ſiluas impeditas foſſa, vallove munierunt, quo incurſiones hoſtium vitandæ cauſſa conuenire conſueuerunt.* Porro quamuis hæ vo-

[d] Commet. 5.

ces, *Oppidũ*, *Vrbs*, *Ciuitas*, plerumque confundantur, diuerſam tamen ſignificationem habuiſſe certum eſt. Oppida non erant aratro cincta, vrbibusque minora; quæ cingebantur, in nomen vrbium tranſibant. *Vrbs* ab vrbo, vel vruo aratri lineâ, nomen inuenit. Cato [e] in Originibus auctor eſt, eos qui vrbes olim cõdere volebãt, taurũ in dextra, vaccam intrinſecus, iungere ſolitos, & ritu Sabino cinctos, id eſt, togæ parte, caput velatos parte ſuccinctos, ſtiuam incuruam ita tenuiſſe, vt glebæ omnes intrinſecus caderent, atque ſic ~~vrbem~~ ſeu ſulco ducto, loca murorum deſignaſſe.

[e] Cato lib. 4. de lingua Lat.

[f] *Interea Æneas vrbem deſignat aratro,*
Sortiturq; domos: hoc Iliũ, & hæc loca Troia
Eſſe iubet; gaudet regno Troianus Aceſtes,
Indicitq; forũ, & patribus dat iura vocatis.

[f] Virgil. Æneid. 5.

Inter ciuitatem & vrbem, ait Nonius Marcellus, *hoc intereſt; vrbs, ædificia; ciuitas, incolas reſpicit*; nec incolas tantùm, ſed leges etiam. Enimuero fieri poteſt vt vrbs mœnibus & ædificiis, imò etiã hominum multitudine abundet,

undet, rerumq; ad victū neceſſariarum copiâ, nec tamen ciuitas ſit, niſi legibus ac magiſtratuúm imperiis ciues contineantur. *Hoc* enim, ait Seneca [g], *eſt vinculum quo Reſp. cohæret, ille eſt ſpiritus vitalis quem ciuitas trahit: nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mēs illa ſubtrahatur. Vrbem* igitur rectè Cicero [h] definit *tectorum coniunctionem, locis manuq́ ſeptam, delubris & ſpaciis communibus diſtinctam, in qua hominum cætus ſit iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociatus*. quib. poſteriorib. verbis & *Ciuitas* definit, quę eſt *collecta hominū liberorū iure viuentium multitudo. Roma vrbs & ea ciuitas incolit*, ait ille. Atq; hęc quidē de Cauſſis magnitudinis dicturo, prę̄mittenda fuere; quibus hoc addo, Ciuitatem hodie vel potētiorum vi conſtitui, vel eorum, qui ſe libertatemque ſuam ſub alterius imperium ac arbitrium ſponte ſubiecerūt. Iam vt ordine de re propoſita diſſerā, primò ea perſtringam, quæ ad vrbem inanimam, vt ita dicam, ſpectant, ſitum

[g] lib. 1. De clementia.

[h] lib. 1. de Republ.

ſcilicet, mœnia, ædificia & ſimilia; deinde ea perſequar, quæ ad vrbem animatam, vel ciuitatem; hoc eſt, ad ciues, incolas, negotia quæ tractant & munia eorum reſpiciunt.

CAP. 2. *De vrbium ſitu ex aeris ſalubritate.*

AD beatam ciuium vitam, nō ſufficit populum optime inſtitutū habere, niſi opportunitas vrbis ea ſuppeditet, quæ ad vſum vitæ tranquillæ ſufficiant. In condēdis vrbibus, *prima ea cura eſſe debet, vt locus ſaluberrimus eligatur; altera, vt fertiliſſimus; tertia, vt commodiſſimus, & ad negotiationes & res bellicas. Conſiſtet ergo opportunitas ſitus primò in aeris ſalubritate; nam cum is a nobis ſeparari non poſſit, perpetuoq; velut connatus cohæreat, ambiatq; & lædat; vel quod calidos immodice, vel quod frigidos, aut ſiccos, aut humidos nos efficiat, eius prima quoq; cura meritò nobis gerenda. Ideò Pallas Sapientiæ Dea Muſæum Græciæ conditura, locum

*Strabo lib. 6.

cum in Attica ſaluberrimum, & aeris temperie optima elegit. Spartiani [b] de colonia deducenda ſolliciti, conſulto oraculo, reſponſum tulerunt; *Contra tacos ædificarent.* Crotonienſes loco ſaluberrimo ciuitatem condere a Diis iuſſi. Locus autem ſalubris cognoſcitur, ſi excelſus & non nebuloſus; non pruinoſus, regioneſque cæli ſpectet neque æſtuoſas, neque frigidas. *Quũ enim*, ait Vitruuius [c], *auræ matutinæ cũ ſole Oriente ad oppidum peruenient, & iis ortæ nebulæ adiungentur, ſpirituſq; beſtiarum paluſtriũ venenatos cum nebula mixtos, in habitatorum corpora flatus ſpargẽt, efficient locum peſtilentem.* Item, ſi ſecundum mare erunt mœnia, ſpectabuntque ad meridiem, aut ad occidẽtem, nõ erunt ſalubria: quia per æſtatem cælum meridianũ ſole exoriente caleſcit, meridie ardet. Apulia æſtiuo calore maxime feruet, ita, vt ante finem Maii pene exuſta ſit. Siccitati aliud malum additur, innumerabiliũ muſcarũ infeſtatio: ex quo Italorum prouerbium:

[b] Suidas

[c] lib. 1. c. 4.

Chi miol pruouar l'inferno
La ſtate in puglia, in Abruzo il verno.

Loca quæ occidentẽ ſpectant, ſole exorto tepeſcũt, meridie calẽt, veſpere feruẽt; quę caloris & refrigerationis mutatione ſubita, corpora quæ in iis degũt locis, vitiari neceſſe eſt. Ad orientẽ cõuerſę vrbes, ait philoſophus [d], & ad eos vẽtos qui inde perflant ſalubriores ſunt. Septẽtrionalis quoq; plaga non recipit mutationes noxias; &, quia firmior eſt, corpora diutius ſeruat; quod quidem ex eſculentis quæ reconduntur ſatis apparet; quæ dum modicis feneſtellis ad ſeptentrionem refrigerantur, tardius marceſcũt; quę verò ad calidas cæli partes ponuntur, facile & cito corrumpuntur. Locris & Crotone peſtilentiam numquam fuiſſe annotatum eſt, vnde prouerbiũ: *Crotone ſalubrius.* Sergianum [e] Hetruriæ oppidum ex Lunæ antiquæ vrbis ruinis creuit, quũ incolæ peſtilentis eius litoris aura, quæ maxime ad Macrę oſtium vergit, offenſi, ædificia in editi-

[d] Ariſtot. 7. Politic. 9.

[e] Iouius lib. 1. Hiſtor.

in editiorē locum ſubduxiſſent. Stratonicus Muſicus Seriphi agens, hoſpitem ſuum percontatus eſt, ob quam cauſſam illic homines ſolum vertere iuberentur: quumque is reſpōdiſſet; *Flagitioſos tantum apud Seriphios exſilio mulctari; Quin[f] tu quoq;*, ſubiūxit, *flagitii aliquid cōmittis, vt ex his locorum anguſtiis aerisque intemperie emigres?*

[f] Athenæus lib. 8. c. 7.

CAP. 3. *De vbertate ſoli.*

PORtius Cato cēſebat in inſpiciendo agro duo præcipuè eſſe conſideranda; ſalubritatem cæli, & vbertatem loci[a]: quorum ſi alterum deeſſet, ac nihilominus quis colere vellet, eum mente eſſe captum; atque ad agnatos & gentiles deducendum. Neminem enim ſanum debere ſumtus facere in culturam ſterilis ſoli; nec rurſus peſtilenti, quamuis feraciſſimo pinguique agro dominum ad fructus peruenire. Nam vbi ſit cum Orco ratio ponenda, ibi nō modo perceptionem fructuum, ſed & vitam colonorum eſſe dubiam, vel potius mortem

[a] Columella lib. 1. c. 3.

quæſtu certiorem. De aeris temperiẽ egimus capite præcedenti: nunc addimus, ad magnitudinẽ vrbis non parum facere agri vicini bonitatem, quę ciuibus alimoniam abunde ſuppeditet. Cum Diogeni [b] quidam exprobraret, *Te Sinepẽſes Ponto exulem eſſe iuſſerunt*; *At ego* (inquit) *illos hac damnò pœna, vt in Ponto extremisq́ Euxini litoribus incluſi perpetuò maneant*: eos potius exſulare innuens, qui infelici regioni tanquam adſcripti erãt. M. Cato [c] nouem conditionibus bonum agrum deſcribit; quæ ſi nõ coniunctim omnes reperiantur; nam difficile id admodum; is optimus erit, qui plura ex his habebit. Primam agri qualitatem illic eſſe vult, vbi vineæ eſſe poſſint, bono & multo vino: ſecundam, vbi hortus irriguus; tertiam, vbi ſalicta; quartam, vbi oliueta; quintam, vbi pratum; ſextam, vbi campus frumentarius; ſeptimam, vbi ſylua cædua; octauam, vbi arbuſtum; nonam, vbi ſylua glandaria. Quî fit quod pleręq; Italiæ

[b] Diogen. Laert. lib. 6.

[c] De re Ruſtica, cap. 1.

Italiæ & Galliæ vrbes, tot incolis exũdent? quia vbique vitalis & perennis ſalubritas conſpicitur, eximia cæli tẽperies, campi fertiles, aprici colles, innoxii ſaltus, opaca nemora, munifica ſyluarum genera, metallis grauida, nobilia pecori vellera, optima tauris colla, perſpicui & piſcoſi lacus, flumina fonteſq; ſaluberrimi. Agrum cõſideremus Neapolitanum, cuius tanta vbertas, vt *Bacchi* merito *& Cereris certamen* a Floro vocetur. Arua ipſa arbuſtis, iiſque frequentiſſimis conſita ſunt; arbores pleręq; patentiſſimis ramis diffuſę & in vaſtam proceritatẽ conſurgentes, vitibus amictę, quæ geniculato procurſu ad cacumina ſcandentes, atque inde præcipitatæ, ad ſolum vſque peruenientes, ea ſunt feracitate [d], vt vna arbor (incredibile dictu) eam vini ferat vim, quæ quinque clitellariorum mulorum onus ſit. At quæ vina? generoſiſſima, & quæ veteribus etiam in pretio; Maſſica, Cæcuba, Falerna. Idem ſolum frumenti

d Foliet. de laudib. Neapol.

ita ferax, vt a nullo, quod ea laude excellat, vincatur; quodq; multis in locis ſi bienniũ quieuerit, quatuor cõtinuos annos reſtibile fiat. Quid de agro Mediolanenſi dicemus, qui cunctis rebus tam neceſſitati mortalium, quam deliciis & voluptati opportunis abundat? Similia de Galliæ, & Germaniç ſuperioris & inferioris vrbibus multis dici poſſent, quæ ſolum vicinum habet frumenti & omnis generis fructuum feraciſſimum. Sanè mira ſunt, nec ſine rubore referenda, quæ de feracitate Inſulæ Hiſpaniç [e] ab Hiſpanis traduntur, raphanos, lactucas, braſſicas, quindecim dierum ſpacio a ſatu matureſcere; pepones & cucurbitas ſex & triginta dierum; vitẽ, intra annum frugiferam fieri; triticum (ne non omnia experirentur) principio Februarii humi cõditũ, ad idus Martias maturuiſſe. Obiicere hoc in loco quis poſſet, Athenas olim, hodie *Noricum* in Germania, & *Limogeam* in Gallia, aliasque nonnullas vrbes, quæ ampliſſi-

[e] Roderic. Sant. parte 1. Hiſpan. hiſt cap. 4. Rodericus Tolet. 3. rer. Hiſpan. cap. 20.

ampliſſimæ cum ſint, agros nihilominus ſteriles habẽt. Sed nõ difficilis eſt reſponſio: nam vrbes illæ aliis excelluntopportunitatibus, & a bonis agris haud procul abſunt: adde, quod pauperiores ob agri ſterilitatem ſe maiore conatu ad opificia dedere cogãtur; qua de re ſuo loco, Deo fauente. Soli vbertati, lignorum ſubiungo copiam, lapidum & arenę. quæ enim harum rerum inopia laborãt vrbes, difficulter ad magnitudinem aliquam perueniunt. Si domos ædificare volumus, tignis opus eſt; ſi coquere, non magis igne quam lignis carere poſſumus. *In concluſionibus* (ait Vitruuius [f]) id eſt, in obſidionibus, *reliqui omnes faciliores ſunt apparatus quam lignorum. Sat enim facile importatur, frumenta publice priuatimque congerũtur, & ſi deſint boleribus, carne ſeu leguminibus defenditur. Aqua foſſuris puteorum & de cælo repentinis tempeſtatibus ex tegulis excipiuntur. De lignatione qua maxime neceſſaria ad ædificandum & cibum coquẽdum, dif-*

f lib. 2. c. 9.

ſicilis & moleſta eſt apparatio, quod & tardè comportatur, & plus conſumitur. Si igitur vrbi vicinæ fuerint ſiluæ, & lapicędinæ, arenæque, vel marinæ vel fluuiales, vel foſſitiæ, ciuibus id ædificandi animum addet. Calx marmore, aut ſaxo albo, vel viuo ſilice optimè coquetur. Harum rerum neglectus, quæ prima fronte non magni videntur momenti, ſæpe vrbibus nocuit.

CAP. 4. *De vrbium amœnitate.*

[a] Diod. Sicul. lib. 36.

SCribunt [a] Triocalam, Siciliæ vrbē *τρία καλὰ*, hoc eſt, pulcra cōtinere. Primum, quod ſcaturigines aquarum plurimæ in ea inueniantur, quæ dulcedine præſtant: deinde, quod agris circumdetur, vinetis & oliuetis amœnis, & culturæ admodum aptis: poſtremò, quod optimè ſit munita. Vrbs Granata odoratis citrorum viridariis & fontium perennium ſcaturigine, vermiculatiſq; paſſim pauimētis admirabilis exiſtimatur: Duæ ex aduerſo exſurgūt Regiæ oppoſitis collibus, [b] ita vt imagine quadā nauis hæc pro-

[b] Iouius in Conſaluo.

ram;

ram; illa, puppim obtinere videãtur; Media vallis domorum frequentia celebris, vrbem diſterminat maiore amœnitatis,quam munitionis ſtudio. Quid de amœnitate vrbis Neapolis dicemus, vbi ver perpetuum;neq; floribus tantum vernant illa littora, ſed nulla pars anni florum &fructuum expers? Numquã [e] regio illa aut frigore riget, aut niuibus horret, aut gelu torpet. Cumque ea ceterarum regionum natura ſit, vt quod ſolum pingue ac ferax ſit, neceſſariisque fructibus abundãs, id minime amœnũ eſſe ſoleat: contra, quod amœnum eſt, ab vbertate deſtituatur, cuiuſmodi circum Spadanos campos& Liguſticam oram cernimus; quorum illi frumenti ac lactis, neceſſariarumq; rerum feraciſſimi, amœnitate Liguſticorum litorum carent; ex aduerſo frumentis deſtituitur maritimę Ligurię omnib. amœnitatibus referta ora: iam tanta eſt agri Campani gloria, vt fœcunditas cum amœnitate certet; & regio-

[e] Foliet. dict. loc.

nes, quæ alterutra tantùm laude prę-
ſtant, vtraq; ſuperet. Non diſſimilia
de multis aliis vrbibus dici poſſent.
Quàm amœni ſunt iuxta Bruxellas
horti, nitidiſſimè culti, in quibus va-
ria hortenſium fructuum genera pro
diuerſo anni tempore proueniunt?
Mirum dictu quam agri & ſaltus vici-
ni, vario auium ferarumque genere
abundẽt! Quid amœni? (vt alia prę-
teream loca) proſpectu vrbis Baſileę?
Nam cum ille omnis dupliciter com-
mendetur: vel ex ipſa aſpectus ſui ra-
tione, iuſtaque dimenſione; vel ex
rerum quę aſpectui ſubiiciuntur, ſpe-
cie, ac varietate; Baſileenſes vtroque
gaudent. Amœni enim illi colles &
campi quos vrbs aſpicit, neque tam
propinqui ſunt, vt radios oculorum
nimis cohibeãt, ac veluti carcere cõ-
ſtringant; neque tam longe diſſiti, vt
proſpectus nullis locorum terminis
circumſcriptus, per immenſam vaſti-
tatem excurrat, nulloque conſiſtens
loco hebetetur; ſed oculis ſat laxamẽ-
ti præ-

ti præbent, eoſque obiectu ſuo terminant, ne latius circumiectorum acies euaneſcat. Si viſum demittas, Rhenum aſpicies mediam vrbem ſecantem, & in eo pontem, hominibus repletum: vt lucum Petrinum, & cetera omittam.

CAP. 5. *De Vrbibus quas flumen, lacus vel mare alluit.*

QVātum maritimis ſubuectionib. aliiſq; nauigationibus vrbes diteſcant & augeantur, incredibile dictu. Si igitur commoditate aquæ nauigerę fruantur, fieri vix poteſt quin ad magnitudinem breui perueniant. Sic Venetos, Genueſes, Maſſilienſes, Anglos, Belgas & Gallos videmus nauibus ſuis etiam remotiſſima quæque orbis terrarum loca ſcrutari, & aromata, vniones, ſericum, aliaq; domū referre. Conſtātinopolitanæ vrbis ſitum commodiſſimum eſſe oportet, cum in Iſthmo ſita, [a] tribus partibus portuoſo mari alluatur, Propontidi & Ægæo mari imperet, Euxino pariter,

[a] Petr. Gill. in Topogr. Conſtantinop.

vno illud oſtio claudens, Boſphoro ſcilicet, quē inuitis Conſtantinopolitanis tranſire nemo poteſt: Aſiæ & Europæ veluti pons eſt, & porta vtriuſque orbis expeditior quam Helleſpontus; vt meritò *Europæ totius arx* vocari poſſit, atque orbis quendam Principatum prę ſe ferre non obſcurè videatur. Sic Alexandriam duo maria vndique alluunt; alterum a Septētrione, quod *Ægyptium* dicitur; alterum, a meridie, quod *Mareotis* appellatur: Hanc Nilus multis foſſis tā e ſuperioribus partibus, quam e lateribus adauget, per quas multò plura importantur quam mari; vnde fit vt portus, qui in lacu eſt, ditior ſit maritimo. Tarentum vrbs prēclara in inſulam traducta, mari cingitur, vt Venetiæ. Iuxta Lugdunum atrox & feruens Rhodanus per fines Heduorum fluentem Ararim cum quadam aquarum modeſtia excipit, ac trāquillum & curſus ſuos diſſimulantem humeris portat in Maſſilienſe pelagus, ter-

ras

ras proluens fertiliſſimas. Vnde Claudianus[b] Poëta: b lib. 2. ad Eutrop.

Quam Rhodano ſtimulatus Arar, quos inter aprica
Planities, Cererisq; fauet, dĕſisq; ligatur
Vitib⁹, & glaucos fluctus attollit oliua.
Diues equis, felix pecorum, pretioſaq; picto
Marmore.

In confeſſo eſt hiſce fluminibus fœcundari agrum & populum importata annona lætari, & quia in mare Liguſticum decurrũt, importandis & exportandis mercibus accommodatiſſima eſſe. Turrianus quidam Mediolanenſium prætor, ad confirmanda populi ſtudia, omnes operas ad Ticinũ conduxit,[c] vt non procul ab Abiato oppido emiſſarium nauigabile, deriuata parte amnis ad vrbem perduceret, ad facilimas ſubuectiones importandorum ex agris fructuum; qua incomparabili commoditate populus in cottidianos vſus perpetuo frueretur. *Non ſine cauſſa* (ait de Roma Liui- c Iouius in vita Ottonis.

d lib. 5. us[d])*Dii homineſque hunc vrbi condendæ locum elegerũt: ſaluberrimos colles, flumẽ opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges deuehãtur, quo maritimi commeatus excipiantur: Mare vicinum ad commoditates, nec expoſitũ nimia propinquitate ad pericula claſſium externarũ.* Sed quid in re tam clara exemplis opus? ſi quis quãtum nauigera flumina vrbes iuuent ſcire vult, is eas perpendat vrbes, quæ in Italia ad Arnum, Atheſin, Padum: in Gallia, ad Ligerim & Sequanã: in Germania, ad Rhenum & Danubium poſitæ ſunt. *Perfluunt* ait

e lib. 22. de Adiabena[e] Ammianus Marcellinus, *potiores ante alios amnes hi quos prædiximus*, (Diauam & Adiauam intelligit,) *& Marſias flumen regium & Euphrates cunctis excellens: qui tripartitus nauigabilis per omnes eſt riuos, inſulasque circum fluens ditat, & arua cultorum induſtria rigãs diligentius, vomeri & gignẽdis arbuſtis habilia facit.* Inter flumina verò ea præſtantiora habentur & vtiliora, in quibus nauigia vltro citroque diſcur-

diſcurrere poſſunt, torrentia periculoſiora & minus idonea ſunt. Porrò quia de fluminibus hoc in capite mẽtio facta, addendum eſt, inter vrbis maxime neceſſaria, aquam eſſe ſalubrem: hoc enim elemento nulla ratione carere poſſumus. qua in re veteres diligentiſſimi fuerunt, qui non modo oppida vrbeſq; condituri, ſed & dum caſtra ſtatiua eligebant, in puram inquirebant aquam. *Magna vrbis vtilitas*, inquit Vegetius, [f] *cũ perennes fontes murus includit. quod ſi natura non præſtat, cuiuslibet altitudinis effodiendi ſunt putei, aquarumq; hauſtus funibus extrahendi.* Aqua ea optima, quæ motu velociſſima, limpidiſſima aſpectu, leuiſſima pondere, facilima cõcoctu, ab ortu ſolis ad occaſum incitata eſt. Si aquam contingat alicubi inſalubrẽ eſſe, confeſtim ex habitatorum facie cernitur. Quod [g] ſi aquæ potores validis corporib⁹, nitido colore, oculis acribus ſint, de aqua non dubitandũ; ſecus, ſi contra. Aquis gelidis & ſalu-

[f] lib. 4. c. 10.

[g] Ariſt. 7. Polit. 9.

bribus Baſilea abundat, in ipſa vrbẽ ſcaturientibus & aliunde adductis.

CAP. 6. *De vrbib. bene munitis.*

QVia vrbium ædificatio duplicẽ habere cauſsã videtur, vtilitatẽ commodè viuendi in ſocietate, eamque augendi, & ſecuritatem ciuium: ad magnitudinem vrbium non parũ faciet, ſi aduerſus quoslibet belli impetus munitę fuerint, foſſa, vallo, mœnibus. *Maiores noſtri*, ait Liuius, [a] *caſtra munita, portus ad omnes caſus exercitus ducebant eſſe, vnde ad pugnam exirent, quo iactati pugnæ receptum haberent.* Arces & muri muniti, paucorum opera magnam hoſtium manũ arcere poſſunt, pugnantibus vel ſolis elementis aduerſus obſidentes, vt frigore, pluuiis, æſtu & commeatus penuriâ: quæ ſæpe ingentes copias cogunt inuitos obſidionem ſoluere: Et ſalui ſunt ciues eô confugientes, qui alioquin in vrbibus malè munitis, hoſtium omnibus iniuriis expoſiti manerẽt. Exempla hîc magnarũ & potentiſſimarũ vrbium

a lib. 55.

bium adducere poſſem, quæ firmiſſimo murorum ambitu propugnaculis, multisq; ad hoſtium furorem arcendum peridoneis, turribus formidabiles ſunt; ſed iis in re tam aperta opus nõ eſt. *Vrbium foſſæ*, vt teſtatur Vegetius[b], *latæ eſſe debent, altiſſimæq;*, id eſt, profundæ, *vt ne facile poſſint coæquari, replerique ab obſidentibus; & tum aquæ cœperint inundari ab hoſtibus, continuari cuniculum minimè patiantur. Nã duplici modo opus ſubterraneum peragi earum altitudine & inundatione prohibetur.* Quod ad murũ attinet, audiamus Vitruuium[c]; *Collocanda*, inquit, *oppida ſunt, non quadrata nec procurrentibus angulis, ſed circuitionibus, vti hoſtis ex pluribus locis conſpiciatur, & excogitandum, vt portarum itinera non ſint directa, ſed σκαιᾶ.* Et Vegetius:[d], *Ambitum*, ait, *muri directum veteres duci noluerunt, ne ad ictus arietum eſſet diſpoſitus, ſed ſinuoſis anfractibus, iactis fundamentis clauſere vrbes, crebrioresque turres in ipſis angulis erexerunt.* Verum de

[b] lib. 4. c. 5.
[c] 1. lib. 5.
[d] lib. 4. c. 2.

ratione muniendi, non deſunt etiam ex recentioribus, viri magni, qui doctè admodum & ad noſtra tempora congruenter ſcripſerunt: Quæri hoc in loco poteſt, an arces & propugnacula (quæ vulgò *caſtella* & *citadellæ* vocantur) in vrbibus collocata ad earũ magnitudinem faciant. Dubitandi cauſſa, quia ciues talium vrbium ab hoſtium iniuriis tutiores videntur: contrarium nihilominus a prudẽtioribus reſpondetur. quia mercatores præcipue ea loca fugiunt, quæ arcis alicuius præſidio tenentur, quod ea vix vnquam ſine tyrannide præſumantur: Ideò Pedianus *arcem* definit *ſedẽ tyranni*. Et, vt vno rem verbo dicam; ſolent eiuſmodi arces, quod vſus cottidie docet, Principibus vtiliores eſſe, quam ciuibus. Imminet quoque perpetuum periculum, ne arcium pręfecti ſe ad vrbem prodendam corrumpi ſinant, ambitione ducti, auaritiâ, odio vel perfidia: qui metus ciuibus alacritatem adimit.

CAP.

CAP. 7. *De vrbium commoditate, elegantia & magnificẽtia.*

ILlud ad vrbis quoque magnitudinem pertinet, vt ędificia tum publica, tum priuata ad vſum commoda, ad hilaritatẽ & amœnitatem iucunda, & ad vrbis gratiam magnifica ſint, ſiue molem ſiue materiam, ſiue artificium ſiue ſymmetriam ſpectes. Sint igitur vrbiũ plateæ directæ, ab vna ad alteram portam, & latæ, cum ad vecturã, tum aduerſus ventos deſcriptæ: ad quas, ædes priuatorum ad pares conſtituantur dimenſiones. quam rẽ *Veſpaſianum Gonzagam* Principem prudentiſſimum in inſtauratione Sablonetæ & Bozoli, ſummè noſtro tempore obſeruaſſe vidim⁹: cuius ob id quoque lubenter meminimus, quod pater meus aliquando ab Aula illi pręfectus. Nec verò poteſt hac laude ſpoliari Bernenſium magiſtratus, qui formam ædificandi ciuib. propoſuit certam, iuxta quam ædificaturo, publicis impenſis lapides & ligna vſque ad

locum ędificii conuehuntur. Ac tametſi forma illa non a prudente architecto vſquequaq; profecta eſſe videatur, vt quæ porticus atque ædes nimis humiles habeat, minusq; commodas, tamen ob proportionē ſeruatam vrbs elegantiſſima iudicatur. In platearū triuiis latiores areæ relinqui ſolent, ad fora boaria, piſtoria, piſcaria, ſuaria, olitoria & ſimilia. Et *ſi erunt mœnia* (ait Vitruuius[a]) *ſecundum mare, area vbi forum præcipuum conſtituatur, eligēda proxime portum; ſin autem mediterranea, in oppido medio.* Prolixus nimis forem ſi Italiæ & Galliæ tot præclararū vrbium elegantiam & magnificentiā recenſere vellem: ſed & Germania me detineret nimium, ſi exempli gratia, Auguſtam Vindelicorum, Norimbergam, Vratiſlauiam, Argentoratum, Viennam, Antuerpiam, Bruxellas, Brugas, aliaſq; complures deſcriberem, quę non minore laude dignę: nam ſumtuoſiſſimis ædificiis ſtructura ſolida & firma, plateis amplis ac nitidis

[a] lib. 1. c. vlt.

tidis

tidis illis nequaquam cedunt. Vnico vrbis Neapolis exemplo contentus ero, vbi infimorum etiam ædes altitudinem Nobilium domorum æquant, omnesque penè in quintam cõtignationem, nonnullæ etiam in ſextã cõſurgunt, toti deniq; familiis ſedes prębent, & frontium ſpecie atq; pulcritudine nobilium domibus pares ſunt: nam & oſtia & feneſtras affabrè factas habent, antisq; & epiſtyliis & zophoris ac coronis mirificè exornatas. Ipſorum verò nobilium domibus [b] nihil ad magnificẽtiam deeſt; nam maxima pars ex lapide ſunt quadrato, periſtyliaque habent atq; ornatiſſimas & laxas porticus; quæque vnica iſtius vrbis commendatio eſt, maxima illarum pars hortos penſiles ſuſtinent, feliciſſimarum quarumuis arborum ſiluis conſitos, ad ſecundam contignationem ſublatos, in qua herilis habitatio eſt, vt ex ipſo triclinio & cubiculis, quibus herus vtitur, ſit in hortos ex æquo tranſitus. Verum publicis in o-

[b] Vbert. Fol. de laud. vrb. Neap.

Digitized by Google

peribus magnificentia magis eſt efferenda. Quis namque dubitat quin tēpla, fora, theatra, amphitheatra, baſilicę, Mauſolęa, pyramides, thermæ, poritc⁹ & eiuſmodi ędificia, vrbes reddāt illuſtriores, vt ſi ex ſolido marmore, prudenti ſtructura, vel alia ratione conſpicua ſint. Auguſtum Cæſarem adeo vrbem Romam excoluiſſe ſcribunt [c], vt iure gloriatus ſit, marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet. Publica opera ſuo nomine exſtruxit, forum cum æde Martis Vltoris quam Philippenſi bello vouerat, templum Apollinis; condidit & Tonantis ædem in Capitolio, Cantabrico bello votam, quū nocturno itinere fulgur ipſius lecticam perſtrinxiſſet; Fecit & portum, Baſilicamque & alia. Cuius exēplum ſecuti ſunt multi ex ſucceſſoribus, qui magnificentia ædificiorum multipliciter eum ſuperarunt. Magnus Sfortia [d], patriam Cotignolā fortuito incendio abſumptā, priuata liberalitate inſtaurandam ſuſcepit;

c Sueton. in Auguſto.

d Ionius in Magno Sfortia.

cepit;

cepit; ſingulos etiam ciues cohortãdo, vt ædificare luculentius vellent, quando ipſe lateres, materiam, calcẽ ſe gratuitò collaturũ profiteretur: Factumque ſubinde eſt, vt celeriter adornatis domibus, directiſque viis, priuatim & publice, gratię Principi ingẽtes agerẽtur, quod opportuna liberalitate & priuatæ commoditati, & elegantiæ publicæ conſuluiſſet. Poſſent complures alii nominari, qui exſtructis operibus magnificis, templis, xenodochis, ſcholis, aquęductibus, Gymnaſiis, pontib⁹, palatiis, prætoriis, aliiſque, vrbes ſuas illuſtriores reddidere. Roma, Nemauſum, Verona, Dola amphitheatris & Baſilicis: eadẽ Roma, Florẽtia, Mediolanũ, Ambianum, Argentinæ aliæq; templis auguſtis & ampliſſimis celebres ſunt.

CAP. 8. *De vrbibus ad vias regias, vel in Imperii finibus ſitis.*

AD magnitudinem vrbis plurimũ conducet, ſi ita ſita ſit, vt illac homines cottidie multi iter facere co-

gantur; tum, quod ab extraneis multa importentur ad victum veſtitumque neceſſaria; tum, quod ea ratione vectigalia augeãtur. Quod ſi huc accedat, vt in Imperii vel Regni alicuius finib. iaceat, commoditas ad magnitudinẽ tãto maior erit. Qui ex Italia vel Germania in Hiſpaniam proficiſcuntur, ii fere omnes Genuam petunt; & contra, qui ex Hiſpania in noſtras tendunt regiones: inde fit vt vrbs hæc, ob tantorum regnorum vicinitatem, & commercia multis fruatur cõmodis, ex quibus ciues diteſcant. Similia de Antuerpia, Amſtelrodamo, Venetiis, Auguſta Vindelicorum, aliiſque vrbibus dici poteſt. Nec dubium eſt, hoc inter alia Mediomatricum vrbi, Coloniæ, Geneuæ, Argẽtinę ſummè profuiſſe, quod in Imperii finibus iacent. Traiectum in Friſia, vrbs potẽs, a *traiiciendo* dicta exiſtimatur, ob frequentem mercatorum aliorumq; per hãc vrbem tranſitum: habet quinetiam multa oppida vicina, ad quæ breuiſſi-
mo

mo tempore, Traiecto perueniri poteſt. Creuit Lugdunum Galliæ, ob magnum exterarum gentium cócurſum, quem parit ſitus: eſt enim ita in finibus Galliæ, vt medium ferè totius Europæ conſtituat, vnde ciues omne mercium genus transferre in quamcumque orbis partem poſſunt. De Cóſtantinopoli paullo ante diximus, eam tam commodo loco ſitam, vt nemo vltro citroque in Aſiam vel Europam traiicere poſſit, nolentibus Conſtantinopolitanis, cum ſit velut porta & pons vtriuſque orbis. Hiſpalis, quam vulgo *Seuillā* vocant, ita ſita eſt, vt quotquot ex India naues pretioſiſſimis onuſtę theſauris Æolo fauente redeunt, eô appellere, ſeſeque exinanire cópellantur: ex quo magno numero quotannis in Auguſto vel Septēbri incredibiles ei' opes accreſcūt.

Cap. 9. *De thermarum ſalubriū oppertunitate.*

HOminum concurſui, aquarum medicarum quæ vel potione vel

ablutione iuuant opportunitatẽ cauſam præbere non exiguam, vſu compertum. Natura nos docet, vt ea quæramus, quæ ad ſalutem noſtram compendii aliquid adferunt. Sulphuroſas comperimus, articulis neruiſque vtiles: aluminoſas, pituitæ fluxionibus: bituminoſas, aluum ſine dolore ſol-
a lib. 31. c. 1. uere. Thermas ſalubres cenſet [a]Plinius in Aquitania apud Tarbellos, & in Pyrenæis montibus, Puteolos in Cãpania. Sextias in Narbonenſi prouincia; ita dictas, quia apud eas Sextius quidam oppidum condidit: nuſquã tamen largius quam in Baiano ſinu proueniũt. Sinueſſanæ ſterilitati fœminarum, & virorum inſaniæ medẽtur; at quæ in Ænaria inſula reperiuntur, calculoſis proſunt. Mirabilis aquarum calidarũ ad Budam in Hungaria & ad Badenas tam Helueticas quã Marchionatus natura fertur; quũ ebullientis aquæ tantus ſit feruor, vt manibus vix tentari poſſit. Aquisgranum pari ratione nobilitãt aqua-
rum

rum calidarum vberrimi ſimul & ſaluberrimi fontes, nec calore nec humore deficienti, tantaque copia ſcaturientes, vt ſinguli plures balneorũ alueos non exiguos noua cottidie aqua implere queant: quorum multi intra mœnia, ceteri in vico ſuburbano. Fabariæ quoque, vulgò *Pfeuers*, Thermę apud Rhætos ad cœnobium Benedictinorum vetuſtiſſimum, ſub Friderico II Imperatore repertæ [b] vlceribus, Chironiis, corporibusq; vel morbo, vel labore reſolutis, mirè vtiles. In profundiſſimo & anguſtiſſimo hiatu, ad cuius apicem æſtiuo tempore meridianus ſol vnica tantum hora pertingit, ſitæ, aquam fundunt calidã, pellucidam, inſipidam, Maio primũ menſe ex ſcopulo prorumpentem, Septembri denuo euaneſcentem, ſex ferè menſibus feriatã. Valeſiani quoque thermas Viberas ſiue Brigias habent, ſulphureas: habent quoq; Leucinas tanti feruoris, vt coctüræ etiam inſeruiant; ad quas incolæ & aduenæ

[b] Stumpf. lib. 10 Heluet.

crebri confluunt. In agro Senenſi quatuor millibus ab vrbe paſſuum aqua reperitur, quam vulgo *Bullulam* vocant, ad quam tamquam ſaluberrimam & quæ verno tempore epota, pluribus morbis prodeſt, ingens hominum concurrit multitudo: Quod idem de Balneis Lucenſibus dici poteſt. Vrbi quoque Neapolitanæ eximia additur gratia tepētium fontium, qui non modo delicatum vſum balneorum præbent, ſed ad complura morborum genera ſananda & leuāda miras habent virtutes: Sulphureę quinetiam ſunt venæ, ex quibus exhalans vapor per ſubterraneos ſpecus ad corruptos humores excitandos, debilitataque membra corroboranda, doloresque tollendos mirum in modum valent.

CAP. 10. *De vicinitate Metalli fodinarum & mineralium.*

CVm vſu compertum ſit metallorum & mineralium foſſionem vberem & magni quæſtus eſſe, inde fit vt

fit vt homines libenter ea loca quærant, quæ metallifodinas vicinas habent, vel loca mineralia. Hiſpaniæ felicitatem admiratum Poſſidonium [a] ferunt, Hiſpaniæ ſubterranea non infernum, ſed Plutum ipſum, id eſt, opulentię Deum, nominaſſe: eòquod tanta in eo terrarum tractu metallorum eſſet vbertas. Aurũ laudatiſſimum adfert Bætica, quæ totius Europæ maxime Auſtralis; vt Aphricæ Æthiopia: vicena millia pondo auri annis ſingulis Aſturiam atque Galleciã, & Luſitaniam præſtare, viri fide digni affirmant. Italia [b] metallorum eſt adeo fertilis, vt interdicto quondam opus fuerit ei parci. Exſtat lex Cenſoria Ictimulorum auri fodinæ, qua in Vercellenſi agro cauebatur ne plus quinque M. hominum in opere publicani haberent. [c] Scribit Bonfinius [d] in plериſque Pannoniæ fluminibus auri optimi ramenta inueniri; Sed & Tranſyluaniam non ſolum pecoris, vini, frumenti, ſed argenti etiam &

[a] Cæl. lib. 18. cap. 22.
[b] Plin. 3. c. 20.
[c] Idem 33. cap. 4.
[d] Decad. 1. lib. 1.

auri feraciſſimam eſſe idem auctor eſt: ibique amnes nõnullos auri fragmenta, quandoq; ſeſquilibralia trahere, quum montibus ſit vndique circumſepta in coronæ ſpeciem. Æneas Siluius [e] teſtatur Cuthnam in regno Boemiæ argenti inexhauſtas fodinas habere. Tempore Plinii [f] conſtat adhuc per Hiſpanias viſos ab Annibale inchoatos argenti puteos ſua peculiaria ab inuẽtorib. nomina habentes, ex quibus *Bebelo* appellabatur, qui c c c pondo Annibali indies ſubminiſtrabat, ad quingẽtos iam paſſus cauato monte. Montes qui in Foroiulio ſunt, omnibus fere metallorum generibus abundant, nẽpe ferro, plũbo; marmor etiam habent nigrum, candidum, variũ, lapillos carneolos, berillos & ſimiles, item cryſtallum. Iã de Salinariis aliquid dicamus. Salis genera hæc recẽſentur, cęſum, foſſitium, fontanum fluuiatile, lacuſtre, & marinum. Scribit Marinæus [g] apud Ribagorciã in Hiſpania ſal lapidum more

[e] Hiſt. Boem.

[f] lib. 33. c. 6.

[g] lib. 1. de reb. Hiſpan.

more cædi,& arborum inſtar pullulare & renaſci. Drepanum vrbs Siciliæ ſalſis gaudet ſtagnis, quæ ſolis ardoribus deſiccata,incredibilem ſalis copiam præbent. Cardonæ quam plurimi ſe ex ſalis mercatura ſuſtentant: præſtat enim ille locus ſalis fertilitate vicinis omnibus. Notum illud,quantum lucri ex Salinis Gallicis percipiatur: nam videmus ſæpiſſime nauium peregrinarum claſſes ad mare Gallicum appellere,ſalis exportãdi cauſſa. Salinæ vberrimæ in Germania ſunt, Lunæburgi & Halæ Saxonum: vnde præcipui ciuium vitam adeò honeſte tolerant, vt mercatura illa nobilitatis ſpecies eſſe cenſeatur. Reſtaret vt & de terris dicerem fœcundis ſulphure, bitumine,pice,naphtha,ſuccino; ſed cum breuitati mihi preſcriptæ parendum ſit, & hæc apud alios reperiantur,hoc vnum dixiſſe ſufficiat: Papa Pio II ſedente in agro Tolphano prope Cẽtumcellas,montes aluminis patefactos eſſe,ex quibus prouentus an- hh Ioh Cap. in Vita Pii.

nui c. millium aureorum nummum ſummam excedunt. Et quantũ Volaterrani [1] ex aluminis foſſura diteſcãt, ſed & ii qui hoc negotii genus tractãt, palam eſt.

[1] Brut. lib. 5. hiſt. Florent.

C A P. I I. *De vrbibus quæ Academiis, collegiis vel Bibliothecis florent.*

HActenus de vrbe inanima, id eſt, de vrbis ſitu & ædificiis diximus: iam tempus poſtulat vt ad ciuitatem, quæ animata eſt, progrediamur; & ea pariter quatenus ad vrbiũ magnitudinẽ faciunt, examinemus. Inter quę primum locum dabimus *Academiis* & *ſcholis*, quas vulgo *vniuerſales* vocant. Nã vbi omnis generis diſciplinæ publice gratis, & cum applauſu explicãtur, ſolet meritò vrbs aliqua etiam a remotiſſimis quibusque viſitari; vrbs, inquam, illa obſcura eſſe non poteſt. Vt enim magnetis montes, etiãſi pleriſque incogniti ſint, chalybis aciem magnete fricatam ad ſuas vertũt partes: ſic Academiæ ob docentium eruditio-

ruditionem, ex quacũmq; orbis parte quamplurimos ad ſe ex præcipuis, quamuis terrarum ſpacio longè lateque diſſitos, pertrahunt. Inde tot præſtantiſſimos viros in exteras regiones diſcendi ſtudio legimus, in Babyloniam videlicet, Chaldæã, Mediam, Aſſyriam, Syriam, Phœniciam, Arabiã, Palæſtinam & Æthiopiam profectos. Verum quid antiquioribus hiſce exẽplis opus? quot, quæſo, in Germania, Gallia, Italia & Polonia oppida, quæ ante Gymnaſia ibi conſtructa tam obſcura fuerũt, vt Geographi ea noluerint vel exiguo aliquo loco tabulis ſuis dignari; eademque poſtea ad tantã magnitudinem ex ſolo ſtudioſorum concurſu, Academiæque celebritate excreuerunt, vt nunc cum præcipuis vrbibus certent. id quod alio quoque loco [a] dicere memini. Celebres Athenæ magis ex ſtudiorum cultura, quam alia de cauſſa fuerunt: ideò eas nonnulli *Muſæum Græciæ* vocant, alii *culmen & firmamentum ſapientiæ.* Mõ-

[a] In Principe. cap. 30.

phis non ſolum propter religionem & Deorum cultum, Regumq; ſepulchra celebris, ſed etiam ſapientiæ ſtudio ſummè floruit. Rhodus non tam ob loci opportunitatem, quam ob Gymnaſium celeberrimũ nota quondã orbe toto fuit. Idem de Maſſilia olim, Lugduno, Lutetia, Aurelia, Biturigibus, Bononia, Salamanca, Pataüio, Piſis, Vienna, Praga, Louanio, Heidelberga, Baſilea, aliisq; dici poſſet. Porro Academię celebriores futurę ſunt, ſi collegiis benè auctis & locupletatis gaudeant, in quibus qui inter Scholaſticos inopes ſunt, vili pretio vel gratis nutriuntur, vt ne penuria multos, qui bonis ingeniis præditi ſunt, ſtudia deſerere cogat. quam rationem vbique locorum, in quibus Academię florēt, obſeruari videmus. Pataüii, vt alia omittam Gymnaſia, nouem collegia, ad ſuſtinendam ſtudioſorum iuuenum inopiam reperiuntur; Foroiulienſium, Feltrenſium, Spinellium, Pithiũ, Campionis, Neapolitanum,
Brixia-

Brixianum, Græcum, & Rauennate; Quo nomine liceat mihi vnū de multis laudare Sereniſſimū IOANNEM CASIMIRVM Archipalatinat⁹ Adminiſtratorem, Principē æternâ memoriâ dignum; qui, quāuis armis potius, quam literis excelluerit; collegia nihilominus litteraria, magnifica & *Neoſtadii* & *Heidelbergæ* reliquit magnis reditib. locupletiſſima. Quod de Academiis & collegiis dictum, ad loca quæ religione præ ceteris commendantur, trahi poſſunt. Cuius rei exempla habemus apud Ethnicos. Non minus enim religionis ſtudiū, in Iudęo, Ethnico, Turco eſſe poteſt, quam in Chriſtiano: in hoc tamen verius; a reliquis ita differens, vti lux a tenebris, veritas a mendacio, vti corpus a Phātaſmate. Perpendamus magnum ad templum Dianæ veterum cōcurſum, Hieroſolymam, Romā, Memphin, & alia ſacris ædificiis inſignita loca, & tem ita ſe habere fatebimur. Ceterū & Bibliothecas bene inſtructas, Aca-

demiarum & vrbium celebritatẽ augere, dubium non eſt. Sunt *Bibliothecæ theſauri litterarii*, in quibus optimorum auctorum libri reconduntur, qui & vniuerſæ Reip. & priuatorum commodis inſeruiunt. Larẽſii laudes celebrat Athenęus, eiusque inſignem librorum numerum, refertq; inter eos, qui admiratione digni viſi ſunt, in cõgerendis libris, Polycratem, Samium, Piſiſtratum qui regnauit Athenis, Nicoſtratum, Cyprium, Regesque Pergami & Ægypti. Adrianus Iunonis & Iouis templum Athenienſibus ędificauit, communemq; omnibus Diis ædem, inqua Bibliotheca erat & Gymnaſium Adriani nomine. Sed vt propius ad noſtra tẽpora accedamus, & Conſtantinum, Carolum Magnũ, Ludouicum Pium, Alphonſum Arragonum Regem, alioſq; prætereamus: Franciſcum Primum, Galliæ Regem Pariſiis apud S. Victorem & in arce Fontanablio, Bibliothecas præclaras inſtituiſſe notum eſt, quas conquiſitis vndique

b 1. Dipnoſoph. 1.

vndique libris rariſſimis ex media vſque Græcia & Arabia illuſtrauit. Bononiæ duæ ſunt Bibliothecæ; vna ad Saluatorem; altera, ad D. Dominicũ. Florentiæ ſex oſtenduntur, ad Laurẽtium, D. Marcum, D. Benedictum, ad Sanctã Crucem, apud Epiſcopum, & ad D. Mariam nouellam. Romæ cottidie aperitur per duas horas Bibliotheca Græcis Latinisque libris exquiſitiſſimis refertiſſima. De ceteris quę in monaſteriis reperiũtur, nihil dicã. Venetiis quoque inſignis Bibliotheca viſitur, quam BESSARION Venetis legauit. Cur vero Sereniſſimi & potentiſſimi FRIDERICI IV Electoris, domini mei Bibliothecę auguſtæ, quæ Heidelbergæ in æde Sancti Spiritus adſeruatur, obliuiſcar, quæ libris optimis, iiſque raris adeo repleta eſt, vt cum præcipuis Italiæ & Galliæ Bibliothecis certet? cui tam celebri Bibliothecæ optimi Principis iuſſu præeſt PAVLVS MELISSVS, *Vates iamdudum toto celeberrimus orbe, &*

iusque ſtudio indefeſſo magnum ea in dies incrementum capit.

Cap. 12. *De vrbibus quæ magnorum Principum aulis, vel ſummis dicaſteriis clarent.*

QVis dubitat vrbes eas in quibus Imperatores, Reges aliiq; principes frequentius habitant, tum ob ſubditorum, quibus cum principe res eſt, cõcurſum, tum ob multiplicia aulæ miniſteria, exterorumque principum & legatorum, aliorumque aduentum ampliores fieri? Adfert & principis habitatio hoc commodi, quod ædificiis ſplendidioribus magis vrbs exornatur, artibusq; manuariis & ceteris rebus ad victum veſtitumq; neceſſariis, affluat neceſſe ſit. Vſus cottidie docet quantum incommodi principis ab ordinario habitationis loco abſentia, ciuibus, qui muſcas interea captare compelluntur, adferat. *Quo tẽpore Pontifices Romã relictã Aueniom annos plus minus ſeptuaginta habitarunt, vrbem plane deſertam, vndique corruere*

corruere vidiſſes, ait Platina; [a] ſed poſt reditum *Gregorij XI*, aliam protinus faciem induiſſe apparuit. Poſtquam Honorius [b] Imp. Româ relictâ Rauẽnæ ſedem Imperii conſtituit, confeſtim vrbs iſta maximis cum ædificiorum priuatorum publicorumq; operibus, tum non mediocribus ciuium atque incolarum opibus creuit. Eandem quoque Valentinianus III pro Imperii ſede habuit, cauſſamq; dixit, vt omni munimentorum & ornamẽtorum genere inſigniretur. Idem de Conſtantinopoli, Praga, Lutetia, aliiſque vrbibus, in quibus Regia aliqua dici poſſet. Quod de Regiis ſedibus dictum eſt, id ad ſuprema dicaſteria, vbi negotia & controuerſiæ priuatorum definiuntur, trahi poteſt; quo ob cauſſarum forenſium multitudinem quamplurimi confluant neceſſe eſt: quæ res immanem pecuniæ vim immenſasque opes vrbibus accumulat. Argumento eſt Iuriſconſultorũ, procuratorum, ſcribarumq; infinitus nu-

[a] In vita Gregorii.

[b] Sigon. lib. 12. Imper. occid. lib. 15. Regni Ital.

merus, qui ex tenui re ad ampliſſimas opes perueniunt; quique magnificẽtiſſimas paſſim comparant & ædificãt ædes, latifundiaque & ampliſſima patrimonia ſucceſſorib. ſuis relinquũt. Incredibile dictu eſſet, omnes qui iudiciis Romæ inſeruiunt enumerare, quot ibi auditores Rotæ? quot clerici Cameræ? quot theſaurarii? quot Cameræ auditores? quot Protonotarii Apoſtolici? quot ſubdiaconi? quot Secretarii Apoſtolici? quot correctores Cancellariæ? quot Sũmiſtæ? quot abbreuiatores? quot minores? quot hoſtiarii Cancellariæ? quot ſcriptores Apoſtolici? quot ſcriptores breuium? quot procuratores Pœnitentiariæ? quot ſcriptores Pœnitentiariæ? quot collectores plumbi? quot correctores Pœnitentiariæ? quot ſollicitatores? quot correctores Archiui? quot ſcriptores Archiui? quot ſecretarii bullarum ſalariatarum? Quid multis, quot notarii? quot prę ſides Ripę? quot curſores? Tale quid de Parlamentis Galliæ, de

liæ, de Tribunali ſummo Romani Imperii aliiſque dici poſſet. In tantum apud omnes litium ſitis creuit. Adde quod nulla ſit pactio, nullum teſtamẽtum, nullum caput legis, nullum verbum, nulla ſyllaba, ex qua argumenta veriſimilia ad litium propagationem exprimi non valeat, maximo ciuium malo. Sed hac de re alio me loco[c] dixiſſe commemini. Vrbes quoque vbi frequẽter Regni vel imperii comitia habentur, vel vbi Reges diademate inſigniuntur regnique ceremoniis more maiorum inaugurantur, in dies celebriores reddi dubium non eſt.

[c] In Princi-pe, cap. 4.

CAP. 13. *De vrbibus quas Nobiliorum multitudo incolit.*

VRbes quæ à Nobilioribus coluntur, incrementum in dies capere oportet. Quæris quî fiat, quod in Italia magnificentiores vrbes, quam multis aliis in Regnis reperiãtur: Sed non eſt difficile quod reſpondeam. Id enim fit tum aliis, tum hac præcipue de cauſſa; quod Italos nobiles, loquor

de præcipuis, non de mercatoribus, vrbes inhabitare non pudet; cum cõtra multis aliis in locis, Nobilium plerique ruſticẽtur, id eſt, ruri vel in prędiis quæ poſſident, hæreant; eoſque qui in vrbibus habitant pro ignobilibus cẽſeant. Nobiles qui in luce hominum verſantur, dignitatis ſuæ etiã in ædium ſplẽdore, memores eſſe neceſſe eſt. inde ædificandi ſtudium, ex quo vrbium magnificentia. Quam bene vero illud fiat, penes prudentiores iudicium eſto. Nam ingenuè fateor, me non intelligere, quare hodie ignobilius ſit vrbes bene munitas incolere, quam olim, quo tempore ſplẽdidiſſimi equites conſulatum etiã in præcipuis Galliæ & Germaniæ vrbibus gerebant: aut, quare nobilius ſit, caſæ alicui ruſticę imperare, quam vrbi ſæpenumero Metropolitanę. Nam ſi vrbes a nobilibus incolerentur, non dubium eſt, eos pręcipuam magiſtratus partem facturos. Neque verò metuẽda illis eſt potius generoſi ſanguinis ſui

nis ſui cum plebeio,& ordinum neſcio quæ confuſio,quàm vel antiquis Romanis,vel hodie iis quos diximus. Scribit Vbertus Folietta, quod ſtupēdum eſt, & fere incredibile, Neapoli plusquam ſeptingentos ciues eſſe, vicorum, caſtellorum, vrbium etiā dominatu conſpicuos:in quibus plus cētum Principes, Duces, Marchiones, Comites, magnusque eorum numerus ſit,quorum annua vectigalia quindena aureorum millia excedant; nōnullorum etiam ad quinquaginta,aut eo etiam amplius perueniant: vt verè dici poſſit; maiorem propè eſſe in illa vrbe feuda obtinentium,dominantiumque, quam in multis aliis opificū & ſellulariorum numerum. Alexander Magnus vrbes plus ſeptuaginta in ſolo Barbarico ædificauit; ſed illud ſēper, vel inprimis aduertit, vt a præcipuis & potentiorib. illorum regionum incolis habitarentur. Quod idē obſeruaſse ſcribunt Tigranem in vrbe, quam inter Iberiam & Zeugma, quod iuxta Euphratem eſt, condidit.

CAP. 14. *De vrbibus quæ negotiationibus, & mercimoniis claræ ſunt.*

MErcatores quum ſine fraude pecuniam faciunt, ingẽtes vrbi vtilitates adferre perſpicuum eſt; per illos enim quæ ciuibus ſuperflua, exportantur, & quę nobis aliunde neceſſaria ſunt, quæve apud nos non inueniũtur, ad vſum cottidianum importantur. Sed & mercatorum peritia & opibus multa ſæpe non leuia pericula propulſari contigit. Hinc omnes commerciis nobiles vrbes plerumq; magnas eſſe videmus. Venetiis patrii moris eſt, vt pars multo maxima ciuium tertia fere diei hora, vnum in locum coeat velut ad Emporium negotiorum cauſſa. *Riuo alto* eſt loco nomẽ, vt alibi *Borſa*, vbi ſine fremitu, ſine altercatione, tamquam nutu, non verbis inter ſe paciſcuntur, *cunctaq; orbis verius quam vrbis negotia incredibili ſilentio tranſigũt*, vt ait Sabellicus.[a] Nullum eſt Emporiũ interni maris quod a Gadi-

[a] lib. 4. c. 1.

a Gaditano freto inter Aphricā & Europam, in Syriam & Ægyptum ad ortum excurrit, ad Septentrionem vero & Boream in Boſphorum & Mæotidem paludem; nullus tam ignotus littoris receſſus, quem Venetæ triremes ex antiquo ciuitatis inſtituto, non negotiorum cauſſa frequentent. Teſtatur idem Sabellicus, naues Venetiis haberi, quæ ſtatis anni temporibus ad merces, ex remotiſſimis locis conuehendas publice inſtruuntur; Ex his quatuor longę ex Syria, atque ex Ægypto totidem, aromata, ſericum, vniones deferunt: Ex Libya tres, aurū, gemmas & mancipia: duæ ex interna Gallici maris ora, pretioſiſſimum vellus & Hiſpanicum ſericum, omnium nobiliſſimū: quatuor a Tanai & Męotide palude, ſalſamēta, tapetas & ſmaragdos: quatuor ex Gallici Oceani Emporiis, lanas, aurum, aulæa & Flandrenſis panni vim ingentem. Hæc cum ita ſint, quid mirum ſi ciuitas iſta ad tātam magnitudinem exereuerit.

Non diſſimilia de Genua, Neapoli, Antuerpia, Amſtelrodamo, Lubeca aliisq; multis maritimis vrbib. dici poteſt; quam multa ibi quoque, quã magna, quam multiplicia mercimoniorum varietas, ſiue in maritima, ſiue in terreſtria commercia, mercatorumq; multitudinem intueare? Maritimorũ quidem cõmerciorum, teſtis eſt portus in qualibet vrbium illarum, onerariis, & omnis generis nauigiis perpetuò refert⁹. Ampliſſimæ ſunt ſocietates in vectigalibus publicis exercẽdis, & in ceteris omnib. rebus, in quibus mercatorũ laborat induſtria, occupatæ. Ex hoc fonte naſcitur, quod videmus Emporia, & annuos mercat⁹ vrbes nobilitare. Lugdunum Galliæ vrbs ob celeberrimum emporium & olim & hodie clarũ. Ormus, emporium felicis Arabię, ad tantam peruenit magnitudinem, vt dici prouerbio ſoleat, *Si mundus annulus ſit, Ormum gẽmam fore*. Similiter *Frãcofurtũ* ad Mœnum indies amplius & magnificenti⁹ ob duos

b Card de rer. Variet. lib. 1. cap. 4.

ob duos illos annuos mercatus, fieri videmus. Ceterum quæ vrbs commercia ad ſe trahere cogitat, in id incũbat neceſſe eſt, vt magna cura priuilegia mercatorib⁹, etiam extraneis, præcipue nundinarum tempore, cõſeruentur, vt poſſit ſecurè & ipſis & mercibus eſſe acceſſus, manſio & receſſus. Sũt mercatores tempore emporii ſub fide ſingulari & protectione Principũ, vel illius Reipubl. quę nundinas indulget. Iuriſdictio quoque mercatoribus, quod nec iure improbatur, ſummarie potiſſimum, & de plano adminiſtrari debet, & bona fide conſeruari; prouidendumq; ne vis illis fiat: Item, vt libris eorum fides habeatur ad certam ſummam, obſeruatis circumſtantiis, rationabili ſuſpicione deſtitutis.

CAP. 15. *De Vrbibus in quibus opificum omnis generis magna eſt copia.*

QVamuis apud priſcos Romanos, Lacones, Corinthios, Thraces,

aliosque nonnullos populos, opifices manuarii in pretio non fuerint quo plures militiæ ſtuderent, non ideò ſequitur etiam opificia vrbib. non ſummopere eſſe vtilia; fateor, ſi mechanicæ artes cum liberalibus conferantur, *ſordidas* eas dici poſſe, ſed non idcirco opifices ab vrbe pellendi; quia viliores. Nec populi illi dum peregrinis lucrum indulſerunt, opes ſuas interim valdè auxerunt; & docet vſus, opificibus manuariis nihil vtilius eſſe: quod intellexit iampridem Alexãder Imp. qui omniũ fere opificiorũ corpora Romæ conſtituit, iisque immunitates tribuit, vt neceſſariam operã Reipubl. præberent. Maſſilienſium [a] legibus nemo in ciuium numerũ recipiebatur, qui artem nullam, qua ſe ſuſtẽtaret, allerer. Scribit Diodoru[s] [b] ex ſeptem tribubus Indorum quartum locum opifices tenere, quorum pars armis, pars ruſticis inſtrumentis alii aliis machinis vtilibus fabricandi[s] vocant: ſi non ſolum immunes a tri-

a Val. Max. lib. 2. cap. 1.

b lib. 2. c. 10.

buto ſunt, ſed frummentum etiam ex Regia percipiunt. Ex Amaſis Regis inſtituto, non ſolum cogebatur vnuſquiſque deſtinato magiſtratui, quo ſe artificio tueretur palam facere; ſed etiam ex Græcia & Aſia magnis præmiis manuarii iſti euocabantur. Legē quinetiam, auctore Solone, Athenis fuiſſe proditum eſt, vt puberes omnes artibus [c] addiſcendis vacarent, quod iſta fiebat ratione: proponebantur iis publicè ſingularum artium inſtrumēta, & quo quiſque inſtrumento delectaretur, ea in arte inſtituebatur, vt naturam ſecutus tanto euaderet præſtantior. Iacobum primum Scotorū Regem ſcribunt [d] ex vicinis regionibus omnis generis artifices manuarios magnis propoſitis pręmiis accerſendos curaſſe vt Scoti ab iis edocerentur. intelligebat vir prudēs, quantum vtilitatis opificia ſecum trahant. Mediolani tam multa ſunt tamque diuerſa artificum genera, vt inde vulgi ſit natum prouerbium: *Qui Italiam*

[c] Plutarch. in Solone.

[d] Buchan. lib. 10.

efficere totā vult, is Mediolanum deſtruere debet, vt tot opificum collegia per totam Italiam ſpargantur. Ceterum prudentes magiſtratus in id ſemper incubuerunt ſedulò, vt vrbes, quibus pręſidebant, ſi non pluribus, vno ſaltem opificii genere ceteros populos antecellerent, vt hac ratione eos ad ſe pertraherent. Damaſceni armis fabricandis excellunt: Florentini pannis ſubtilioribus: Arelatenſes tapetibus; Genuenſes holoſericis: Mediolanenſes telis aureis; Veneti purpurâ; Angli omnis generis pannis; quorũ tanta ibi copia, vt ducenta millia laneorum præter alias vna Antuerpia quotannis Londino accipiat. Neapolitani tibialibus holoſericis, Mantuani laneis, Cameracenſes telis, alii aliis rebus eminent. Ad ſummam. Caput hoc Attica illa ſententia concludendum, *vt quiſq; plurimas in ciuitate artes exercet, ita vtiliſſimus quoq; exiſtimatur.* Nam non modo ſimul viuendi gratia ciuilis hæc ſocietas inſtituta eſt, ſed,

quod

quod initiò dicebamus, bene ac commodius agendi. Proinde quicumque plus confert vtilitatis, ille maiore beneuolentia ac gratia dignus eſt. Verũ magiſtratus hîc cura erit, vt opera & opificia ſine vlla fraude, dolo, vel fuco perficiantur ſolida, iuxta opificii cuiusque leges. Quod vt melius fiat, inſpectores cuilibet collegio præficientur, qui opera examinent. Cauendũ quoque, ne prætextu ſocietatum, opificiorum Monopolia, vel factiones aut coniurationes obtegantur.

CAP. 16. *De vrbibus quæ ius ciuitatis facile peregrinis & aduenis tribuunt; ciuibusq́, priuilegia varia largiuntur, & conſeruant.*

NIhil, meo quidem iudicio, iis magiſtratibus ineptius, qui ius ciuitatis paucis communicandum, idque magna pecunia cenſent. *Illud verò,* ait Tullius, [a] *ſine dubitatione maxime noſtrum fundauit Imperium, & populi Romani nomẽ auxit, quod Princeps ille creator vrbis Romulus fœdere Sabino docuit,*

[a] In Balbi defenſione.

etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc ciuitatem oportere; cuius auctoritate & exemplo numquam eſt intermiſſa a maioribus noſtris largitio & communicatio ciuitatis. Quod ad vrbem vſque a Gallis captam durauit; poſtea quotquot erant alicuius oppidi ciues qui Romã venirent, quamquam Romę domicilium nullum haberẽt, eodem quo ciues Romani loco habebantur; ſi domicilium etiam tranſtulerant, ciues erant. Memini me alibi [b]exemplum Claudii Cæſaris adducere, qui multas Barbaricas gẽtes ciuitate donauit; eò quod diceret, nihil magis Lacedęmoniis & Athenienſib. exitio fuiſſe, quã quod tam difficulter peregrinis ius ciuitatis communicarent,

b In Principe cap. 34.

Dũq; offers victis proprii cõſortia iuris,
Vrbem feciſti, quod prius orbis, erat.

Byzantini cum lex eſſet, ne quis admitteretur ad ius ciuitatis, qui nõ eſſet parente vtroque ciue natus [c], ſanxerunt quicumquè eſſet ſoluendo libras triginta, eum ciuem fore. Anno

c Ariſtot. in OEcon.

Chriſti

Chriſti 1342, Venetiis præcedente terræmotu noua vis peſtilẽtiæ inguinariæ adeò lethaliter ſequiit, vt ex omni languentium numero vix cẽteſimus quiſque euaſerit: tunc Veneti in tam fœda vrbis vaſtitate Edictum [d] propoſuerunt, Vt quicumque Venetias cum coniuge & liberis peterent, perſeuerarentque biennio in nouo incolatu, ciues eſſent. Et ne lõgius abeamus, exemplum a maximis qui hodie ſunt vrbib. ſumamus. quid facilius quam aut Lutetiæ, aut Mediolani, aut Oliſipone, aut ſimili vrbe ius ciuitatis adipiſci? Ad ciuiũ priuilegia & immunitates venio. Faciũt priuilegia ciuitatib. conceſſa, vrbes, quanto maiora ſunt, tanto populoſiores. Omnes naturâ eò trahuntur, vbi magnis beneficiis potiri ſperant. Quoties, quæſo, vidimus auctis priuilegiis, auctam quoque paullo poſt ipſam vrbem? *Sed ciuitas* (inquit ille) *incredibile memoratu eſt, adepta libertate quantum breui creuerit!* Imperator

d Sabell. 8. Ennead. 9.

AntoninusPius, vrbes diuiſit in maximas, maiores, & minores, pro ratione priuilegiorum maiorum vel minorũ, quibus fruebantur. *Decet* autem, inquit Modeſtinus, [e] *maximo quidem numero* (immunitatum) *vti metropoles gentium: ſecundo autem quæ habent vel forũ cauſſarum, vel loca iudiciorum: tertio reliquas.* vnde liquet maximas & præſtantiores metropoles dictas; Maiores, vbi tribunalia iudicum; Minores, ceteras. Auguſtus [f] adeò priuilegia conſeruanda ciuibus cenſuit, vt publicè aliquãdo profeſſus ſit, ſe facilius paſſurum fiſco aliquid detrahi, quam priuilegiis Romanorum. Porrò quia in vrbibus vel mediocribus fieri non poteſt, vt omnes incolæ ciues ſint; ad ſecuritatem ciuitatis non parum faciet, notum eſſe magiſtratui, qui & quot in vrbe alienigenæ vel hoſpites, ad mala pręcauẽda, quę multis vrbib. infauſta fuiſſe animaduertimus. Nam ſi numerus aduenarum, ciuium excedat numerum, vel ſi hoſpites ex iis ſint

e l. 6. §. 2. de excuſat. tutor. vel curat.

f Suetoṅ.

ſint qui cum nobis bellum, vrbs malis hiſce humoribus purganda erit, ita tamen vt cum exteris amice ſemper agamus. *Aduenam*, inquit De⁹, [g] *nõ contriſtabis, nec affliges eum.* & alibi [h]: *Si habitauerit aduena in terra veſtra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei; ſed ſit inter vos quaſi indigena, vt ipſum quaſi vosmet ipſos diligatis.* An autem tempore famis peregrini expellendi ſint, audiamus Ambroſium [i]; *Feræ feras,* inquit, *non expellunt, cur homo expellit hominem? Exuit hominem qui cibum egenti negat. præterea peregrini nobis victũ inferre conſueuerunt; hos nolumus neceſſitatis tempore, qui omni vita nos pauerunt. Noſtra interdum familia, plerique etiam noſtri apud illos ſunt, reddamus quod accepimus, frumentum ab extraneis ſuſcipis nec impertis? Quid illũ eiicis qui te pauit? Nec canes cũ in mẽſa ſedem⁹ mori ſinimus.*

g Exod. 22.

h Leuit. 19.

i 3. De off. 7.

CAP. 17. *De vrbibus quæ matrimoniis fauent.*

SI ciuitas eſt ciuium vnum in locũ legitime coëuntium conſociatio,

ſequitur eã propter hominum mortalitatem ſine liberorum procreatione ac propagatione ſtare non poſſe. Atque hoc nimirum illud eſt, quod Pomponius [a] indicat, *In liberorum procreatione verſari vtilitatem publicam*: Eã autem eſſe eiuſmodi, in qua ciuitatis ſtatus conſiſtat, vtpote quæ ad *replendam liberis ciuitatem*, id eſt, ad eam conſociationem, quę ciuitatem conſtituit, tuendam pertineat. & quia ad exiſtimationem quoq; & honorem ciuitatis ſpectat, turpes ſoboles non innaſci, quæ quamdiu exſtabunt, ſuam infamiam ciuitati quodammodo exprobrent: Ideo magiſtratus eſt animaduertere, ne alia coniunctio, quã ea quę eſt in nuptiis, iisque honeſtè & legitimè contractis in ciuitatem recipiatur. Non minor Romanis matrimoniorum cura fuit, quam aliorum grauiſſimorum negotiorum, tum vt dixi, ad amplificandam ciuitatem, tũ ad familiarum dignitatem conſeruãdam; atque id leges teſtantur cenſorumque

a l.1. Solut. matrim.

rumque diligens prudentia. Q. Metellus Numidius Cenſor, poſtque eũ Iulius Cæſar & ſubinde D. Auguſtus, aliique, liberorum gignendorum & ſobolis cauſſa de maritandis ordinib⁹ leges tulerunt, vt eos ad ſobolem procreandam pecuniis & immunitatibus inuitarent, vacatione munerum, iure trium liberorum & libertate. Furius Camillus [b] cum cenſuram ageret, vt exhauſtę ciuitati, propter aſſiduas bellorum clades, ciues ſuppeterent, legẽ de maritandis Ordinibus tulit, qua inter cetera pœnis coercuit eos, qui viduarum nuptias, quarum viri bello ceciderant, deuitabant: eos vero qui ad ſenectutem cælibes peruenerant, ærario reddidit. [c] Fuerunt & leges Iulia & Papia, quæ ex aliorum teſtamentis cælibes capere [d] prohibebant, & puniebant cælibatum & orbitatem filiorum. Quantum vero ad curã matrimoniorum, quæ reſpicit publicam vtilitatem, poteſtas publica in his remanſit inter orphanas maximè per-

b Plutarch. in Camillo.

c Valer. lib. 2. cap. 4.

d l. 1. & 2. C. de infir. pœn. cælib. & orb.

ſonas, ſed conſeruatis iuribus paternis & maternis, quoad coniunctionem, iuxta Theodoſii & Honorii [c] Conſtitutionem.

[c] l. 10. C. de rupt.

CAP. 18. *De vrbibus in quibus Aſyla.*

PRimus Cadmus cum Thebas cōderet, inter Græcos Aſylū aperuiſſe fertur, ad quod fugientes ſine diſcrimine ſerui aut liberi ab omni pœna tuti erāt; poſt quod in Rhethæo litore Aiacis fuit Aſylum, [a] in Sigæo Achillis, quorum exemplo Romulus ſuum aperuit ad lucum opacum & vallem inter Capitolium & arcē, vt hac ratione vrbem redderet populoſam.

[a] Dionyſ. Halic. lib. 2.

[b] *Romulus vt ſaxo lucū circūdedit alto,*
Quilibet huc, inquit, cōfuge, tutus eris.

[b] Ouid. Faſt. 3.

Aſyla igitur loca ſunt, in quibus vel diuino numine, vel Principum maieſtate, homines ab externa vi defenduntur. Qui capti bello ad Imperatorum Regumque ſtatuas confugiſſent, velut ad aſylum, nexu ſoluebantur, & immunes erant. De Dongardo

do [c] quodam Scotorum Rege legimus eū loca omnia Chriſto ſacra per vniuerſas Scotiæ regiones, aſyla effeciſſe, & ad ea confugientes, ſeruos fugitiuos, liberos, & cuiusuis criminis reos, ne iudiciū ſubire, publica cogerentur auctoritate, dum illic ſe continerēt, Regio cauiſſe edicto. Sed quęri hîc video, an Aſyla quæ non modo inſidias timētibus, ſed quibusvis ſontibus etiam maieſtatis reis patent, toleranda ſint. Tiberius ſanè Cæſar, [d] cū propter Aſylorū priuilegia multa facinora magnâ licentiâ admitterentur, eorum immunitates ne impunita eſſent crimina, abrogauit & in oletum eorum morem antiquauit. Ante eum Auguſtus Dianæ Epheſiæ templum, ad quod confugientes noxii, mancipio ſoluebantur, eo priuilegio ſpoliauit, ne immunitas iſta facinoribus cauſſam præberet. Et vt ad noſtra tempora veniam, ſcribit Polydorus, [e] Henricum VII Anglorum Regem cum aſſiduis rebellium inſidiis regnū

c Boëth lib. 18.

d Sueton in Tiberio.

e lib. 3. de Inuēt. c. 12.

turbaretur, vt improbos coerceret, qui conſpiratione non ſuccedente in diuerſa aſyla ſe recipiebant, aſyla deſtruxiſſe. Deus ipſe opt.max.de Aſylis ita ſtatuit [f]: *Si quis per inſidias occiderit proximum ſuum, eum etiam per vim ab altari meo auelles, vt moriatur.* Hiſce ſanè non obſtãtibus, ſi quis exiſtimet caſus dari poſſe, quibus aſyla permitti debeant; id tamen ſine diſcrimine fieri non debere cõcedat neceſſe eſt, vt ſaltẽ abuſus tollatur eiuſmodi immunitatis, ne, quod fauore Maieſtatis diuinæ vel humanæ introductum eſt, in eius odium conuertatur. Aſyla eorum cauſſa introducta vidẽtur, qui non ſponte deliquerunt, ſed vel caſu, vel ſe defendendo. Euaſio autem illa erat ad diſcernendum: nam pœna dignus eſſet, non autem vt liberaretur a pœna, ſi per odium vel inſidias occidiſſet. Blaſphemi itaque, virginum raptores, homicidæ animi deliberati, ſacrilegi, rei maieſtatis diuinæ, ſed & humanæ ab hoc priuilegio excludendi ſunt.

f Exod. 21.

di ſunt. Non enim meretur beneficio legis frui qui cõtra eius auctoritatem aliquid committit.[g] In Gallia ſolent ad Eccleſias confugientes capi, ſaluo iure reintegrandi, nempe vt poſt captionem cognoſcatur an immunitate Eccleſiæ gaudere poſſit, quo caſu ad Eccleſiam remittitur: quod ſi per ſentẽtiam iudicatum fuerit, captum eo priuilegio indignum videri, retinetur, & obſeruato iuris tramite, condemnatur.

[g] l. 37. fin. de minor. ann. vigintiq.

CAP. 19. *De crebris ſpectaculis, miſſilibus, publicis conuiuiis, aliisque ludis.*

IVdæos reperio, Græcos & Romanos variis, iisque crebris ſpectaculorum generibus populum vndequaque in vrbes traxiſſe. Scribit Ioſephus [a] Herodem Iudæorum Regem ludos Olympios non ſatis reſpondentes ſuę celebritati propter inopiam, de ſuo adiuuiſſe, cõſtitutis annuis reditibus, quo ſplendidius & ſacrificia fierent & alia quæ ad decorandum tam frequẽ-

[a] Antiqu. lib. 10 c. 9.

tem conuentum pertinerent. Græci adeò ludorum Olympiorum ſtudioſi fuerunt, vt ne exciſa quidem a Romanis Corintho omiſſi ſint, ſed eorũ negotium Sicyoniis commiſſum. C. Iulius Cæſar [b] ſpectacula gladiatorũ, venationes & ludos, pompas atque cõuiuia profuſiſſimis ait Suetonius [c] ſumptibus exhibuit, vt priorum munificentias omnes obliteraret, plebẽque ſibi obſequentiſſimam redderet; Ne ſol ſpectatoribus moleſtus eſſet, peripetaſmata ſerica ſupra extẽſa fuerunt; qui panni facti primum ad Barbarorum voluptatem, ab illis ad Romanos & ad [d] muliebres delicias fuerunt importati: Teſtantur ſcriptores [e] ad ſpectacula ab ipſo edita *tantũ undiq; confluxiſſe hominum, vt pleriq; aduena aut inter vicos, aut inter vias tabernaculis poſitis manerent, ac ſæpe præ turba eliſi exanimatiq; ſint plurimi, & in his ſenatores nonnumquam.* Subſellia ita cõta habuere, vt crocum & vinum per ſingulos cuneos ſpargerẽt, illoſq; præcipuis

b Pauſan in Corinth.

c In vita Cæſar.

d Xiphilin.

e Sueton.

cipuis odoribus diluerent,ac picturis exornarent; interdũ minio ac Chryſocolla arenam circi ſternerent,ita vt Adrianus feratur balſama & crocum per gradus theatri ſtrauiſſe. Pompeium,ne populum æſtus offenderet, etiã aquę decurſum per ſubſellia duxiſſe ſcribunt. Sub Seuero certamẽ mulierum inſtitutum fuiſſe legimus; in quo tanta hominum conuenerat multitudo, vt mirarẽtur omnes quomodo ſolos athletas ſtadiũ caperet: Iſto in certamine, vt hoc obiter dicã cum mulieres crudeliſſimè pugnaſſent, eſſentque ob eam cauſſam ceteras nobiliſſimas fœminas conuitiis inſectatæ, cautum in poſterum, ne qua mulier gladiatorio munere fungeretur. Sub eodẽ principe[f] propter victorias quas reportauerat, varia edita ſpectacula, in quibus apri ſexaginta Plautiani inuicem certauerunt,cæſęque ſunt aliæ permultæ beſtiæ, atque inprimis elephas & corocota, animal Indicum,Romæ antea numquam vi-

Certamen mulierum

[f] Dio in Seuero.

ſum. Receptaculum inſtar nauis in theatro ædificatum erat, ad continẽdas feras quadringentas, eaſdemque ſimul omnes reddendas; inter quas leænæ erant, vrſi, pantheræ, ſtruthiones, Onagri, biſſones, (genus boũ ferum aſpectu) aliaque complura animalia; ſeptingentæ quinetiam alię feræ manſuetæque beſtiæ, concurrere, & poſtea confodi viſæ ſunt; occiſis nãque ſingulis diebus centum, pro numero dierum feſtorũ ſeptem ſeptingentę fuerunt interemptæ. De Traiano quinetiam legimus, eum quo tẽpore complures legationes a Barbaris, præcipue ab Indis veniſſent, ſpectacula ediidiſſe dierum centum viginti trium, in quibus interdum mille cæſæ ſint feræ, manſuetęque beſtiæ, interdum ad decem millia, & athletarum totidem interſe cõcertarint. Apparet ex his non mirũ eſſe ſi ſæpe Romam magnus fieret cõcurſus; tum vel maximè [g], quod non raro per totam Italiam præcones præcurrerent conuocatum

[g] Sueton. in Claud.

uocatum quoſuis ad *ludos, quos nec ſpectaſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet.* Verum quicquid ſit, rectè Horatius [h]: h lib. 2. Epiſtol. 1.

Si foret in terris rideret Democritus, ſeu
Diuerſũ cõfuſa genus, pãthera camelo,
Siue elephas albus vulgi cõuerteret ora.
Spectaret populum ludis attẽtius ipſis,
Vt ſibi prabente mimo ſpectacula plura.
Scriptores autẽ narrare putaret aſello
Fabellã ſurdo. nã quæ peruincere voces
Eualuere ſonum, referunt quem noſtra theatra?
Garganum mugire putes nemus, aut mare Thuſcum.
Tãto cũ ſtrepitu ludi ſpectãtur & artes,
Diuitiæq; peregrinæ, quib. oblitus actor
Cũ ſtetit in ſcena cõcurrit dextera læuæ.
Dixit adhuc aliquid? nil ſanè, quid placet ergo
Lana Tarẽtino violas imitata veneno?

Horatio clarius de his ſpectaculis loquutus Seneca, [i] qui nihil iis pernicioſius reperiri poſſe exiſtimat: quippe *Turba,* inquit, *omnis vtique animo grauis & noxia; nec enim quos extuliſti mores vmquam referes: nemo non rubiginis ali-* i Epiſt. 7.

Digitized by Google

quid aut imprimit aut neſcientibus allinit. Itaque nihil omnino damnoſius quam ſpectaculis aſsidere, quando per voluptatẽ facilius ac procliuius obrepãt vitia. Quid me (ſubiungit) *exiſtimas dicere? auarior redeo, ambitioſior, luxurioſior, imò vero crudelior & inhumanior, quia inter homines fui.* Hæc ille. At nonne, inquiet aliquis, conceditur mortalibus quies, vt alacriores poſtmodum ad labores redeant? ſic enim & ſomnus homini datus, vt ſpiritibus refectis ad diuina opera habilior vegetiorq; reddatur. In negotio verò luſus velutti laborum condimentum admittitur. Hæc ita ſe habent, ſed de illis ludis intelligenda, vnde nihil mali addiſcimus, & quę exiguo durant tẽpore: ſpectacula hęc quæ ſæpius redibant multosque durabant dies, otii pernitioſi plena erãt, & plane talia, vt a Seneca deſcribuntur. Otio langueſcit induſtria, hebeſcit ingenium, vitia creſcunt, ſcelera prorumpunt, animi ſtatus opprimitur & flagitiorum omnium bellum in-

inexpiabile, inplacabile

expiabile

expiabile conciliatur. Sed pergo. Solebant quineriam Romani miſſilibus, congiariis & publicis conuiuiis populum paſcere, & in vrbem trahere. *Sparſa*, inquit Tranquillus, [k] *populo miſſilia omnium rerum per omnes dies ſingula cotidie millia, auium cuiusque generis multiplex penus, teſſeræ frumentariæ veſtis, aurum, argentum gemmæ, margaritæ, tabulæ pictæ, mancipia, iumenta, atque etiam māſueta animalia, nouiſſimè inſulæ agri.* De teſſeris infra dicemus. Congiarium vas erat cauponarium, congii vnius capax: inde (docti aſſerunt) congiarium pro munere ſeu ſportula ſumi cœpit, quę dabatur diurni cibi nomine clientibus, comitibus aſſeclis. Auguſtus cōgiarium ſæpius dedit tricenos & quadragenos, nonnunquā ſingulis quinquagenos & ducentos nummos, & ne paruos quidē pueros præteriit. Nero [l] vt alios prætermittam, plebi congiarium quadragenos nummos dedit. Ad epulas publicas quod attinet, fuerunt illæ non apud

[k] in Nerone.

[l] Sueton. & Xiphil. in vita Auguſti & Neron.

Digitized by Google

Romanos tantũ poſt triumphos, poſt ſacrificia vel ſpectacula, ſed apud Lacedæmones etiam & Athenienſes in Prytanæo, Panathenæis & Theſmophoriis vſitata. Scribit Xiphilinus M. Antoninũ Imp. ex Aphrica domum redeuntem octo aureos in cœnam viritim dediſſe, quantam ſummam antea nunquam acceperant Romani. Verum de his & aliis quę ad magnitudinem Romanam ſpectant, nihil doctius Clariſſimi Lipſii ſcriptis.

CAP. 20. *De vrbibus quæ ærario ſtudent.*

QVemadmodum corpus phyſicũ ſine neruis & artubus; ſic nec Reſpub. quæ eſt corpus ciuile, ſine pecunia conſiſtere poteſt. Bona enim & *pecunias neruos ciuitatis eſſe* teſtatur Vlpianus [a]. quod idem Mutianus dicere ſolebat. Et Leo Imp. [b] *pecuniarum vim Remp. ſtabilire* tradit. *Impoſſibile eſt*, ait Iuſtinianus, *vt tributis non illatis Reſp. conſeruetur. Militares namque copiæ aſſignato ſibi ſalario, inde percepto, hoſtibus reſiſtunt*,

[a] l. 1. §. in cauſſa, de quæſt.
[b] Nou. 149. cap. 2.

reſiſtunt, & collatores ab hoſtium incurſionibus truculentiaque vindicant: denique agros atque ciuitates, a latronum, alioque modo incompoſitam vitam ſectantium, vi & irruptionibus, agendis excubiis defendunt. Ex illis etiam reliqua cohortes ea quæ ipſis attributa ſunt, accipiunt, muri atque vrbes inſtaurantur, & ſimilia in bonum ciuium fiunt, vt quæ ab illis contribuuntur, partim in ipſos, partim propter ipſos impendantur. Nobis vero præter iſtarum rerum curã, habere nihil, contingit. Hæc Iuſtinianus. Quare cum Nero [c] initio ſui principatus omne genus vectigalium populo adimere vellet, prudentiores id (laudata nihilominus principis clemẽtia) vetuerunt, [d] quod dicerent id publicæ obfuturum vtilitati. & quamuis rata habita fuerint generaliter omnia, quæ a Sylla bellis ciuilibus Romę vel in prouinciis geſta fuiſſent, vnum tamen hoc illius ſenatusconſultum reprehenſum, quo vectigalia populo remittebantur; decretumque, vt quibus ille de capite dem-

[c] Sueton.

[d] Tacit. lib. 13.

ſiſſet, ii pecunias in ærarium referrẽt. Cenſuit enim ſenatus [c] id, nec ei quidem permiſſum, cui omnia conceſſerat, a populo partarum quæſitarumq; rerum, quibus Reſp. pace & bello ſalua eſt, ſummas imminuere. Ciuitati duo a ciuibus debentur; *opera* & *pecunia*: opera verſatur in honoribus gerendis & muneribus publicis obeundis. Pro officio & pietate erga patriam debentur vectigalia, tributa & ſi quæ ſunt aliæ publicæ penſitationes, velut ex contractu, pœnæ maleficiorũ, quæ ad vindictam criminis cõſtitutæ ſunt. Hæ enim non priuatis, ſed Reip. exſoluuntur, tamquam contractis maleficiis, cum Rep. contractum ſit. Nam & maleficia contrahi dicuntur. Verum duo hîc tanquam ſcopulos vitãda moneo: vnum, vt nouarum vrbiũ conditores, ciuibus quos ad ſe pellicere conantur, primis annis graues non ſint, quin potius iis omnis generis tributa & vectigalia remittant, vt maiori concurſu adueniant, & magnifi-

[c] Plutarch.

gnificentius ædificare poſſint: Alterũ vt etiam in vrbibus antiquioribus vectigalia, & tributa tam ordinaria quã extraordinaria moderata ſint: & extraordinaria ceſſante neceſſitate, remittantur, ne, quę ex lachrimis & gemitu exinanitorum ſubditorum extorta, ad magiſtratus voluptates conuertantur. Si quæ etiam vectigalia noua ab anteceſſoribus impoſita reperiuntur, ea remittere boni principis ſignum eſt. Imp. Pertinax [f] vectigalia omnia quæ ad exquirendas pecunias tyranni excogitauerant, penitus remiſit. Reddũt nimiæ iſtæ exactiones vrbes prouinciaſque deſertas, ſubditos miſeros, efferatos, deſperatoſque: vnde rebelliones & bella ciuilia. *Nihil aliud*, ait Cicero, [g] *niſi imperata noua tributa audiuimus, poſſeſſiones omnium venditas, ciuitatum gemitus, ploratus, monſtra quędam non hominis, ſed feræ neſcio cuius immanis*. Hęc ideo a me dicũtur, vt Principes ab iis ſibi diligẽter caueant, qui nouas ſubinde a ſubditis ex-

[f] Herodian. 2.

[g] In Epiſt.

torquendæ vel cõquirendæ pecuniæ ſtrophas excogitant. quibus quorũdam adeo inuigilat malitia, vt potius ad opprimendum quam ad releuandum populum nati videantur; quãto ſatius eſſet in id ſummo ſtudio eniti, vt ærarium bonis artibus partum, cõſeruaretur potius, quam nouis tributis augeretur? Ne res tandem eô perueniat, quô olim, vt etiam pro vmbra vectigal exigatur. *Quis non miretur*, ait Plinius,[h] *arborem vmbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe? Platanus hæc eſt, iam ad Morinos vſque peruecta, ac tributarium etiam detinens ſolum, vt gentes vectigal & pro vmbra pendant.* Quod ſi omnimodo neceſſitate vrgente noua imponenda ciuibus onera, non frumento, non lignis, non carbonibus, non telæ communi, non denique iis rebus imponenda, quibus pauperes vitam neceſſario ſuſtinent, & quibus carere non poſſunt; ſed iis potius quæ ad voluptatem & ad luxum parãtur: veluti, ſericis, aureis, argenteiſq; telis ac pan-

h lib. 12. Nat. hiſt.

ac pannis exoticis, gemmis, vinis, aromatibus & aliis, quibus inopes carere poſſunt, vt Marcus & Commodus reſcripſerunt[i]. Porrò ſolebāt olim Imperatores, Principes ac populi, qui nouas ſtatuebant vrbes, præter agros vicinos quos priuatis, & prçter loca quç templis, foris, theatrisque conſtituēdis diſtribuebant, poſſeſſiones quoq; & agros, paſcuaque publica omnibus ciuibus æque communiter tuendæ & conſeruandæ Reip. cauſſa aſſignare, quæ priuatis locari conſueuerant, vt ex eorum canone, vt hodie loquimur, pecuniæ in ærarium publicum cogerentur. Romulus agrum Romanum in tres partes diuiſit; quarū vnam ſacris faciendis; ſecundā Reip. onerib. ſubeundis; poſtremam, ciuibus çqualiter aſſignauit.

i l. interdū. §. 6 de publ. vectig.

CAP. 21. *De vrbibus quæ annonæ prudenter curā gerunt.*

ANnonam curare quāti apud Romanos fuerit, vel ex vnica diui Aureliani Epiſtola cōiicere licet, qui

torquendæ vel cõquirendæ pecuniæ ſtrophas excogitant. quibus quorũdam adeo inuigilat malitia, vt potius ad opprimendum quam ad releuandum populum nati videantur; quãto ſatius eſſet in id ſummo ſtudio eniti, vt ærarium bonis artibus partum, cõſeruaretur potius, quam nouis tributis augeretur? Ne res tandem eô perueniat, quô olim, vt etiam pro vmbra vectigal exigatur. *Quis non miretur*, ait Plinius,[h] *arborem vmbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe? Platanus hæc eſt, iam ad Morinos vſque peruecta, ac tributarium etiam detinens ſolum, vt gentes vectigal & pro vmbra pendant.* Quod ſi omnimodo neceſſitate vrgente noua imponenda ciuibus onera, non frumento, non lignis, non carbonibus, non telæ communi, non denique iis rebus imponenda, quibus pauperes vitam neceſſario ſuſtinent, & quibus carere non poſſunt; ſed iis potius quæ ad voluptatem & ad luxum parãtur: veluti, ſericis, aureis, argenteiſq; telis ac pan-

h lib. 12. Nat. hiſt.

ac pannis exoticis,gemmis,vinis,aromatibus & aliis,quibus inopes carere poſſunt,vt Marcus & Commodus reſcripſerunt[l]. Porrò ſolebāt olim Imperatores,Principes ac populi,qui nouas ſtatuebant vrbes, præter agros vicinos quos priuatis,&præter loca quę templis, foris, theatriſque conſtituēdis diſtribuebant, poſſeſſiones quoq; & agros,paſcuaque publica omnibus ciuibus æque communiter tuendæ& conſeruandæ Reip. cauſſa aſſignare, quæ priuatis locari conſueuerant, vt ex eorum canone,vt hodieloquimur, pecuniæ in ærarium publicum cogerentur. Romulus agrum Romanum in tres partes diuiſit; quarū vnam ſacris faciendis; ſecundā Reip. onerib. ſubeundis; poſtremam,ciuibus ęqualiter aſſignauit.

l l.interdū. §.6 de publ. vectig.

CAP. 21. *De vrbibus quæ annonæ prudenter curā gerunt.*

ANnonam curare quāti apud Romanos fuerit, vel ex vnica diui Aureliani Epiſtola cōiicere licet, qui

cum panis Romę, ponderi vnciam vnam addidiſſet de Ægyptio vectigali, ad præfectum annonæ vrbis ita ſcripſit: [a] *Inter cætera quibus Dis fauentibus Romanam Remp. iuuimus, nihil mihi eſt magnificentius, quam quod additamento unciæ, omne annonarum vrbicarum genus iuui, quod vt eſſet perpetuum, naucularios Niliacos apud Ægyptum nouos, & Romæ amnicos poſui. Tyberinas exſtruxi ripas: vadum aluei tumentis, effodi: Diis & perennitati vota conſtitui: almam Cererem conſecraui. Nunc tuum eſt officiũ, Arabiane iucundiſsime, elaborare ne mea diſpoſitiones in irritum veniant; neque enim populo Rom. ſaturo quicquam poteſt eſſe lætius.* Hæc ille. Parum admodum leges & ſanctiones, parum propugnacula, parum milites iuuerint, ſi populus inediâ laboret. Populum famelicum non arma, non magiſtratus, non leges, non pudor coercere valet. Idcirco in omnibus bene cõſtitutis Rebuspubl. magna cura ſemper adhibita, vt populus omni genere victus, ſed frumen-

[a] Flau. Vopiſc. in Aurel.

frumento præcipue abundaret: ad quam rē præfecti annonæ creati, quos Veneti hodie *prouiſores* vocāt. Hi ſuo tempore aduehendum frumentū curant, vili pretio, vt eodem valore ciuibus, vbi opus, vendatur: dant operam vt frumenta locis idoneis poſita conſeruentur; ne ex vrbe aſportētur, niſi in magna abundantia: hi pretia rebus imponunt, ne ad voluntatem vēditorum carè nimis diſtrahantur: hi denique in Dardanarios animaduertūt, qui annonam in ſua horrea auertunt, menſuras & pondera falſant, legibus conſtituta pretia excedunt, vndique coempta frumēta ſupprimunt *ad annonæ incēdium*, ait Quintilianus; id eſt, vt annonæ augeatur pretium, ingraueſcatque caritas. Erat autem *Annonæ Curatorum* munus olim per quam honorificum. Nam ſuos habebant apparitores[b], quos *annonarios* vocabant; & teſſeras tantummodo frumentarias[c] ex ligno vel plumbo, qui bus menſura aſſignata erat, quantum

b l. 1. C. de apparit. præf. annonæ, lib. 12.

cuilibet frumenti, ex publicis horreis dari debebat, diſtribuebant. L. Minutio [d] quod magna cura, fame populũ leuaſſet, extra portam Trigeminam, ſtipe a populo collata, ſtatua poſita eſt. *Si ad hanc menſuram*, inquit Caſſiodorus [e], *cenſenda ſunt dignitates, vt tanto quis honorabilior habeatur, quanto ciuibus profuiſſe cognoſcitur, is certe debet eſſe glorioſus, qui ad copiam Rom. Pop. probatur electus. Tui ſiquidẽ ſtudii eſt, vt ſacratiſſima vrbi preparetur annona, vbique redundet panis copia, & tam magnus populus, tamquam vna menſa ſatietur. Per officinas piſtorum, ciborumque diſcurris, penſum & munditiam panis exigis, nec vile iudicas eſſe, vnde poſſit te Roma laudare. Et, ne quod agis, aliquid putetur extremum, carpentum præfecti vrbi mixta glorificatione conſcendis: tu illi in ſpectaculis cõiunctiſſimus inueniris, vt plebs, quam induſtria tua ſatias, in ſui reuerentiam, te honoratum eſſe cognoſcat. Nam ſi querela panis, vt aſſolet, concitetur, tu promiſſor vbertatis, ſeditiones ciuicas, momẽtanea*

d Plin. 24. 5. Liuius 15.

e lib. 6.

tanea ſatisfactione diſſoluis, & per te proſpicitur, nequid a populis conquerentibus excedatur. Non immerito Pompeius fertur copiæ quantitate prouiſa vſque ad rerum perueniſſe faſtigia, & Magni nomen meruiſſe. Hęc Caſſiodorus. Et paulo poſt: *Conſidera,* inquit, *nunc quod nō licet aliquid furari de populo: Nam quod in ciuitatis damnum committitur, ſilentio non præteritur. Neſcit plebs tacere, quando interdum & hoc loquitur, quod a nemine perpetratur. In fraudulētas diſtringe gladiū, panis pondera æquus examinator intende, ſolicitius auro penſetur, vnde a Quiritibus viuitur; quia gratior eſt nobis lætitia fauentis populi Romani, quam copia pretioſiſſimi metalli.* Ceterum in flagellanda annona nihil fraudulētius, nihil iniquius Monopoliis, cum penes vnū tantum alicuius rei, vendendi poteſtas eſt; vel ſi inter mercatores conueniat, vt certa pretii taxatione ſolum vendant, non minori; vel ſi inter eos conueniat, ne alterius municipis incolæ frumentum, vinum, vel talia in

vrbem deferant, donec illi ſuum magno pretio vendiderint. qua ratione plebs ab aliis viliori pretio quid emere impeditur. Vnus tamen eſt caſus, quo licitè annona oneratur; ſi nempe Reſp. magnam frugum quantitatem cōparauerit in populi gratiam, quæ tamen tota diſtrahi non potuit. Nam ne publicum frumentum vetuſtate corrumpatur, poſſunt compelli ciues vt partem frugum, licèt vetuſtarum emant, ne diligentia, Reip. diſpendio ſit. Ita enim Valentinianus & Valens cauerunt, [f] vt frumenta vetera primum, deinde noua veneant, &, ſi forte corrupta ſint, vt nouarum admiſtione veterum vitium corrigatur.

f l. 1. C. de conden. in publ. horr. lib. 11.

CAP. 22. *De iis qui diuerſa oppida in vnum contrahunt, vel vicinas vrbes diruunt.*

SCribit Plutarchus [a] Theſeũ Athenienſes ſparſim & vicatim habitantes vnum in locum coegiſſe, omnibus Prytanæis dirutis, vnum conſtituiſſe,

a in vita Theſei.

vnam-

vnamque vrbem, Athenas nimirum. Ipſe ſe populo æquauit, legum cuſtodem bellique arbitrum ſe fore profeſſus. Diodorus autē Siculus auctor eſt [b] Eleos diu multis vrbibus diſperſos in vnam deinceps ex omnibus cōmigraſſe, quam tanto concurſu ampliſſimam *Elim* nominarunt. Epaminondas poſt Leuctricam [c] victoriam, Arcadibus auctor fuit, vt exiguis illis & minime munitis oppidis, quæ habitabant, deletis, vnum in locum commodè ſitum, quem poſtea habitarunt, conuenirent, quæ vrbs *Megalopolis* vocata eſt. Liuius [d] prolixè hiſtoriam Albanorum in vrbem Romā traductorum deſcribit, quæ ex Albæ ruinis adeò creuit, vt ciuium numerus duplicatus, vrbi mons Cæli⁹ additus fuerit.

b lib. 11.

c Pauſ. in Bœot.

d lib. 1. decad. 1.

Feciſti patriam diuerſis gentibus vnā;
Profuit inuitis, te dominante, capi.

Pragenſes [e] poſterioribus ſeculis, vt vniti potentiores eſſent, duas in vnā ciuitatem coniunxêre, foſſas complanauere, portas reſerauêre, & ſic vrbē

e Dubrau. lib. 33.

duplo maiorem potentioremq; reddidêre. Heluetii ante iſtos, oppidis ſuis duodecim incenſis, iter capiebãt per Romanorum prouinciam, ſicut olim Cimbri & Teutones, [f] quibus nec cedere eos apparebat, & numero erãt vsq; ad trecẽta millia capitum, ex quibus arma ferebant ad centũ nonaginta millia, vt vrbes[g] aliquas in meliori ſolo ſtatuerent, vel augerent; quas magnas futuras fuiſſe nõ dubium eſt, niſi Cæſar impediſſet illorũ conatus. Adelbertus cognomento *Vrſus*, Orientalis Sclauoniæ dominus, profligatis oppreſſisque Sclauorum contumacib. ad Auelam Albimque degẽtibus, Hollandos, Flãdros ac Rheni accolas ſubſtituit, quibus vrbes & oppida incolenda dedit: horum concurſu Brandeburgicus & Hauelburgenſis Epiſcopatus [h] plurimum acceperunt incremẽti: templorum præterea, decimarumq; numerus inde in immenſum excreuit. Florentini Feſulas, quas aperta vi capere numquam potuerãt, anno

f Cæſ. in Comm.

g Oroſius.

h Helmol. in Slauorum Chronic. cap. 89.

anno m d x. per inducias occuparunt, [i] atq; oppido euerſo ciues omnes Florentiam traduxerunt, [k] & iunctis opibus, ex duabus vrbibus vnam fecerũt; idque hauddubium Florentinæ vrbis, quæ poſt id maxime floruit, initium potentiæ fuit. Pari ratione ex cineribus Auguſtæ Rauracorum, Baſilea (obſcurum tunc oppidum) aucta eſt.

i Machiauell. in hiſtor.

k Sigon. 8. Reg. Ital.

Cap. 23. *De vrbium legibus & Politeia.*

Ciuitatem octo partibus conſtare philoſophi docent [a]: Primam attribuunt matrimoniis, ex quibus liberi homines naſcuntur, & ſine quibus ciuitas conſiſtere nequit: ſecundam agricolis, a quibus alimenta parantur: tertiam mechanicis, ſine quibus ciuitas non eſt ſufficiens [b]: quartã forenſi multitudini, quæ circa emendum, vendendumque, aut circa mercaturam & numulariam artem verſatur, vnde pecuniã trahimus ad vſum cottidianum & ad bellum: quinetiam mercenariis, qui mercede conducti

a Ariſt. 4. Polit.

b Idem 4. & 7. Politic.

opera ciuitati ciuibusque neceſſaria, atque vtilia præſtant: ſextam armis & militibus, quibus magiſtratui obedire compellimur, & externa propulſamus: ſeptimã & præcipuam cultui diuino: octauam & ſummè neceſſariã, Magiſtratibus: nam ſine politeia & legibus nulla ciuitas conſiſtere poteſt. Hactenus ſatis, vt opinor, de ſeptem prioribus capitibus, licèt alio ordine diximus: Reſtaret iam vt de poſtremo, nempe de magiſtratibus & legibus, aliquid diceremus, niſi id peculiarem requireret tractatum, quo variæ regẽdarum vrbium, formæ exponerentur, & cuique formę leges adcõmodarentur, quod noſtri nunc nõ eſt inſtituti, quum vrbem legibus bene formatam præſupponamus, & ceteras hîc tantummodo eius magnitudinis cauſſas inueſtigemus. Nihilominus ne rem tantam ſicco tranſiſſe pede videamur, nonnulla addemus, quæ magiſtratibus ſequenda vel vitãda. Cum itaque ciuitates vel vnius regantur

gantur nutu vel paucorum, vel plurium, id eſt, cum earum imperium vel penes principẽ ſit, vel optimates, vel populum; ſciendum eſt, primum caput eſſe; Noſſe ſpeciem Reip. quam quis curandam ſuſcepit. Ineptum eſſet in Regno leges Ariſtocraticas vel Democraticas obſeruare, vel contra. Non minus quam ſi quis magno coloſſo pygmæi, vel pumilioni caput ingentis Polyphemi aptare vellet. Aliter cum iis qui ſeruituti aſſueti, & aliter cum libero populo agendum. Si vrbs, quam fingimus, ſub vnius ſit imperio, ea ego Rectori tenenda cẽſeo, quæ in Principe meo docui. Si ſtatus ſit popularis, ad libertatem reſpiciẽdum: libertatis pars in eo conſiſtit, vt per vices imperent & pareant. Eſt igitur populare ſumere ad magiſtratus omnes ex omnib⁹, ac pręeſſe omnes, vnicuique & diuerſa ratione vnum omnibus: Populare eſt, officia illa quæ peritiam nullam requirũt aut artem, ſorte interdum diſtribuere: popula-

re eſt, ne magiſtratus; nec ſæpe nimis, nec diu nimis ab eodem geratur: populare eſt, iudicare omnes de omnibus, vel ex omnibus, vel de plurimis & maximis & pręcipuis: populare eſt, vt populus ſuperioribus omnibus comitiis cōſiliiſque interſit, & de iis ſententiam ferat: populare denique eſt, diligenter cauere, ne quis inter eos emineat, aut populo nimium placere ſtudeat; quæ ratio Oſtraciſmi olim fuit apud Athenienſes. Porro in Ariſtocratico ſtatu, illud ſummè cauendum, ne ex optimatibus aliquis vel etiam ex plebe, imperādi auidus emergat, qui plebem in optimates armet, ac ſe ducem profiteatur; quod facile fit, ſi plebs & tenuiores ſeſe vel in tolerandis oneribus & tributis confectos, vel ęris alieni magnitudine oppreſſos, vel agrum & totam regionem in paucorum poſſeſſionem tranſiſſe querātur; aut magiſtratus & honores maximi fœdiſſimis & turpiſſimis hominibus tribuantur; virtute præditi autem vel

autem vel bene de Repub. meriti excludantur; qua re ad inflammandam plebem nihil fortius & validius. Ariſtocratiæ finis paucorum plerumque diuitiæ: Nam diuitiis ſtat, diuitiis cuſtodes alit, ſumptusq; ceteros neceſſarios facit, quo populo fidere nõ cogatur; vt commune hoc ſit ei cum tyrannide, ſubditis non fidere, arma eis adimere, plebem conculcare, ex vrbe pellere & ciuitatem non rarò habitatoribus vacuam reddere. Populi vero finis eſt ſæpiſſime nobilitatẽ temnere, vexare, clam euertere, & palam in exſilium mittere, tamquam aduerſarios libertatis & plebis hoſtes. Qua in re prudẽte rectore opus eſt, qui æquo iure, vtramque factionem retineat, & inprimis in otioſos diligẽter animaduertat, qui Reip. pernicioſi ſunt; bonorum enim induſtriæ inuident, aliena appetunt, & rebus ſemper nouandis ſtudent. Audio Antuerpiæ cenſores conſtitutos qui in otioſos animaduertant, eosq; vel ad opificium ali-

quod cogant, cui rei variæ deſtinatæ domus, vel vrbe pellant, vt ſic ciues & aduenæ a turpi otio ad honeſtas artes & Reip. vtiles vocentur; qua re vix quicquam vrbibus vtilius excogitari poteſt. Id inſtitutum ab Ægyptiis tractum videtur; apud quos legem fuiſſe aiunt, qua ſinguli ciues nomina ſua magiſtratui dare cogebantur, & ſimul indicare, [b] quo genere vitæ vterentur. Qui vel mentiri, vel otioſam degere vitam deprehenderetur, ſeuere caſtigabatur.

b Diodor. Sicul.

CAP. vltimum, *De vrbibus nonnullis quæ ad ſummam magnitudinem peruenerunt.*

ATque hæc quidem ea ſunt, quæ de cauſſis magnitudinis vrbium, hoc tempore in mentem mihi venerunt. Reſtat vt coronidis loco, vrbes nonnullas deſcribam, quæ ſtructuræ amplitudine, ædificiorum magnificētia, populi frequētia, mercaturæ vbertate, diuerſarum gentium concurſu, præ ceteris admirabiles maximè fuerunt,

runt, vel ſunt. Atque vt a Niniue Aſſyriorum metropoli principium ducã: tantæ eam amplitudinis fuiſſe ſcribũt, vt area tantum quadringenta & octoginta ſtadia habuerit, [a] mœnia centũ pedum altitudinem, adeoque ampla, vt latitudinem ternis plauſtris æquã darent: in mœnibus turres mille & quingentæ, quarum altitudo ducentorum pedum: *Tetrapolis* ideò dicta, quod in quatuor partes diuideretur, Ninum, Reſenam, Forum & Calem. Babylon Chaldaicarum gentium caput, in campo iacens ſexaginta paſſuũ millia amplexa, muris ducenos pedes altis fuit, quinquagenos latis, in ſingulos pedes ternis digitis mẽſura ampliore, [b] quam noſtra; mirabili opere conſtructa; interfluo Euphrate. Ferũt ei plebis vrbanæ D c. millia eſſe: agrum habere totius orbis fertiliſſimũ. eius olim vaſtitatem hoc probat argumẽto Ariſtoteles, [c] quod captam quandoque ab hoſtibus, tertio demum die, vix perſenſerint, qui in vltima habita-

[a] Gen. 10. Diod. 3. Oroſ. 3.

[b] Plin. 6. 26

[c] Polit. 3.

bant parte. Memphis quã hodie *Cairum* vocant, vaſto ambitu, tres ingentes vrbes complectitur, atque ad triginta millia domorum habet, ita vt de hac vrbe ſcribant eam Lutetiam Pariſiorum magnitudine quinquies ſuperare. Peſte graſsãte, mortui ibi ſępe ad viginti millia hominum vno die: In longitudinem ſex milliarium Italicorum ſecundum Nilum protẽditur. Latitudinem decem ſtadiorum ſtatuunt. Romam autem, ſcriptores vrbiũ dominam & reginam non ſunt veriti, immo totius orbis caput appellare:

Omnia Romanæ cedant miracula terræ;
Natura hîc poſuit quicquid vbiq; fuit.[f]

[f] Propert. 3. eleg. 21.

Regionib9 XIV olim diuidebatur, portas ſuburbanas & vrbis in vniuerſum XXIV fuiſſe refert Plinius: Liuius autẽ XXXVII ponit imperio florẽte: turres circa vrbem viſebantur DCCXXXIV. nunc turres CCCLXV. portæ XX ſuperſunt. Sub Veſpaſiano vrbis ambitus fuit XIII millium & CC paſſuum, ſeptem complexus montes. Non deſunt

ſunt qui *Romam totius orbis compendiũ* dixêre, in qua omnes ciuitates intueri liceat. Romæ æmula Carthago [g] armis, ſplendore, fortitudine, dignitate; XXII millia paſſuum complectebatur, & tota fere mari & lacubus cingebatur. Illic omnia publicorum officiorũ inſtrumenta, illic artium liberalium ſcholæ, illic philoſophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum gymnaſia vel morũ: illic copiæ militares & regentes militiam, illic honor proconſularis; illic deniq; omnia, vt quę totius Libyæ inſularum domina erat. Non minora de Lutetia dici poſſunt: Templa habet LXVIII, Monaſteria XXIV, Xenodochia IX, Sacella XIV, Portas XIV, Pontes V, Suburbia X; tantũque concurſum, vt ſæpe quinquies centena millia hominum numerata & ſint, & ſint amplius. Huc Londinum & Oliſipo referri poſſunt, vrbes maximæ & ampliſſimę, quæ cũ quibusuis, hominum numero, ædificiorum magnificentia, templorum

[g] Sigon. lib. 12. Imper. Occident.

copia, mercimoniis & amplitudine certare audeant. Illa in Anglia ſita; iſta in Luſitania. Quid de vrbe Venetiarũ dicam, Italiæ totius ornamento, quæ in mediis aquis conſidet: quot in ea templa, quot monaſteria, quot magnificẽtiſſima ædificia, quot hominũ millia, in ea recenſere poſſem? vt non immerito hoc de tanta vrbe Epigrãma circumferatur:

Viderat Hadriacis Venetã Neptun⁹ in vndis
Stare vrbem, & toto ponere iura mari:
Nũc mihi Tarpeias, quantũuis Iupiter arces
Obiice, & illa tui mœnia Martis, ait:
Si pelago Tybrin præfers, vrbẽ aſpice vtranq;
Illam homines dices, hanc poſuiſſe Deos.

[h] Marin. 19. rerum Hiſpan.

De Hiſpali Bæticæ prouinciæ vrbe,[h] ſcribunt eam ambitu magnam, viſu pulchram, forma rotundam, templis celebrem, Sacerdotib. excultã, multis equitibus nobilem, ciuibus plenã, domibus inſignem, hortis & fontibus amœnam, mercimoniis diuitem, artibus mechanicis adornatam: quid multis? dignam plane illo prouerbio; *Hominibus quos Deus amat, Hiſpali domum*

mum

vnum largitur & victum; *Seuilla* vulgo vocatur. Verum habemus nos in Germania, Gallia, Italia, quicquid Hiſpani ſcribant, vrbes & ampliores & magnificentiores, & amœniores & populoſiores; quarum nonnullas nominabo; nam eas deſcribere nimis foret prolixum: Antuerpiam, Amſtelrodamũ, Bruxellas, Magdeburgum, Auguſtã Vindelicorum, Noricum, Vratislauiam, Monacum, Argentinam, Baſileam, Florentiam, Genuam, Mediolanum, Neapolim, Lugdunum, Rothomagum, Tholoſam, vt alias innumeras omittam, quas a multis diligẽter deſcriptas inuenies. Vnam ſubiũgam Chinę [i] metropolim, & finem faciam; *Quinſai* vocãt: de qua plane incredibilia ſcribunt. Aiunt enim ambitu centum milliaria cõtinere; pontes habere duodecies mille, eosq; tam altos vt magnę naues erecto malo trãseãt; Lacum intra mœnia triginta circuitu milliaria comprehẽdere; in medio lacu duas inſulas; plateas omnes

i lib. de China. & Paul. Ven. lib. 2.

vrbis, lapidibus ſtratas eſſe: tria in vrbe millia thermarum, familias ad ſexcenties mille; in quolibet ponte perpetuo excubias agere decem cuſtodes, Palatium regium decem ambitu ſuo milliaria cõplecti. Sed & alia quã plurima de hac vrbe ſcribuntur, quæ fidem ſuperant.

FINIS.

D.AV-

D. AVSONII BVRDIGALENSIS De claris Vrbibus, LIBER.

DE ROMA, CONSTANTInopoli, & Carthagine.

P*Rima vrbes inter diuûm domus aurea Roma.*
Conſtantinopoli aſſurgit Carthago priori,
Non toto ceſſura gradu; quia tertia dici
Faſtidit, non auſa locum ſperare ſecundum,
Qui fuit ambarũ. vetus hanc opulentia præfert,
Hanc fortuna recens fuit hæc, ſubit iſta, nouiſq;
Excellens meritis veterem perſtringit honorem,
Et Conſtantino concedere cogit Eliſam.
Accuſat Carthago Deos iam plena pudoris,
Nunc quoque ſi cedat, Romam vix paſſa priorē,
Componat veſtros fortuna antiqua tumores:
Ite pares, tandē memores, quòd numine Diuûm
Anguſtas mutaſtis opes, & nomina: tu cùm
Byzantina Lygos, tu Punica Byrſa fuiſti.

DE ANTIOCHIA ET Alexandria.

T*Ertia, Phœbææ lauri domus Antiocheia,*
Vellet Alexandri ſe quarta colonia poni

Digitized by Google

Ambarum locus vnus, & has furor ambitionis
In certamen agit: vitiorum turbida vulgo
Vtraque, & amentis populi malè ſana tumultu.
Hæc Nilo munita quòd eſt, penituſque repoſtis
Inſinuata locis fœcunda, ſituque ſuperbit:
Illa quòd infidis opponitur æmula Perſis.
Et vos ite pares, Macedûmque attollite nomen.
Magnus Alexander te condidit: illa Seleucum
Nuncupat, ingenitus nauus fuit ancora ſignum:
Qualis inuſta ſolet generis nota certa, per omnẽ
Nam ſobolis ſeriem natiua cucurrit imago.

DE TREVERIS.

ARmipotens dudum celebrari Gallia geſtis,
Treuericæq; vrbis ſoliũ; quæ proxima Rheno,
Pacis vt in mediæ gremio ſecura quieſcit,
Imperii vires quòd alit, quòd veſtit & armat.
Lata per extentum procurrunt mœnia collem.
Largus tranquillo prælabitur amne Moſella,
Longinqua omnigenæ vectãs commercia terræ.

DE MEDIOLANO.

ET Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæque domus, facunda virorũ
Ingenia, antiqui mores: tum duplice muro
Amplificata loci ſpecies, populique voluptas
Circus, & incluſi moles cuneata theatri:
Templa, Palatinæque arces, opulenſque moneta,
Et regio Herculei celebris ſub honore lauacri,
Cunctaque marmoreis ornata periſtyla ſignis.
Mœniaque in valli formam circumdata limbo.

Omnia

Omnia quæ magnis operũ velut æmula formis
Excellunt, nec iuncta premit vicinia Romæ.

DE CAPVA.

NEc Capuam pelago, cultuq; penuq; potentẽ,
Deliciis, opibus, famaque priore ſileбo.
Fortuna variante vices, qua freta ſecundis
Neſciuit ſeruare modum. nunc ſubdita Romæ,
Æmula nunc. fidei memor, an infida ſenatum
Sperneret, an coleret dubitans, ſperare curules
Campanis auſa auſpiciis, vnoque ſuorum
Conſule, vt imperium diuiſi attolleret orbis.
Quin etiam rerum dominã, Latiiq; parentem
Appetiit bello Ducibus non freta togatis,
Hannibalis iurata armis, deceptaque in hoſtis
Seruitium demens ſpecie tranſiuit herili.
Mox vt in occaſum vitiis communibus acti.
Corruerent Pœni luxu, Campania faſtu.
Heu, nunquam ſtabilem ſortita ſuperbia ſedem!
Illa potens, opibusq; valens, Roma altera quon-
Comere quæ paribus potuit faſtigia conis, (dã
Octauum reiecta locum vix ponè tuetur.

DE AQVILEIA.

NOn erat iſte locus, merito tamẽ acta recẽsi
Nona inter claras Aquileia cieberis vrbeis:
Itala ad Illyricos obiecta colonia monteis,
Mœnibus & portu celeberrima. ſed magis illud
Eminet, extremo quòd te ſub tempore legit,
Solueret exacto cui iuſta piacula bello

Maximus armigeri quõdam ſub nomine Lixa
Felix, quæ tanti ſpectatrix læta triumphi
Puniſti Auſonio Rutupinum Marte latronem.

DE ARELATE.

PAnde duplex Arelate tuos blãda hoſpita portus;
Gallula Roma Arelas: quam Narbo Martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis,
Præcipitis Rhodani ſit interciſa fluentis.
Vt mediam facias nauali ponte plateam,
Per quem Romani commercia ſuſcipis orbis,
Nec cohibes: populoſque alios & mœnia ditas:
Gallia queis fruitur, gremioq; Aquitania late.

DE EMERITA.

IVre mihi poſt has memorabere nomen Iberũ
Emerita, æquoreus quã præterlabitur amnis:
Summittit cui tota ſuos Hiſpania faſceis.
Corduba non, nõ arce potens tibi Tarraco certãt
Quæque ſinu pelagi iactat ſe Bracara diues.

DE ATHENIS.

NVnc & terrigenis patribus memoremus Athenas
Pallados et Conſi quondam certaminis arcem:
Paciferæ primum cui contigit arbor oliuæ:
Attica facundæ cuius mera gloria linguæ:
Vnde per Ioniæ populos, & nomen Achæum,
Verſa Graia manus centum ſe effudit in orbes.

DE CA-

DE CATINA ET Syracuſis.

QVis Catinam ſileat? quis quadruplices Syracuſas?
Hanc ambuſtorum fratrum pietate celebrem,
Illam complexam miracula fontis & amnis:
Quæ maris Ionii ſubter vada ſalſa meantes
Conſociant dulces placita ſibi ſede liquores,
Incorruptarum miſcentes oſcula aquarum.

DE TOLOSA.

NOn vnquã altricẽ noſtri reticebo Toloſam,
Coctilib. muris quã circuit ambitus ingẽs,
Perq; latus pulcro prolabitur amne Garumna,
Innumeris cultam populis, confinia propter
Ninguida Pyrenes, & pinea Gebennarum,
Inter Aquitanas gentes & nomen Iberum.
Quæ modò quadruplices ex ſe cùm effuderit vrbes,
Non vlla exhauſtæ ſentit diſpendia plebis,
Quos genuit cunctos gremio complexa colonos.

DE NARBONE.

NEc tu Martie Narbo ſilebere, nomine cuius
Fuſa per immenſum quondã prouincia regnũ
Obtinuit multos dominãdi iure colonos:
Inſinuant qua ſe Sequanis Allobroges oris,
Excluduntq; Italos Alpina cacumina fines:
Qua Pyrenæis niuibus dirimuntur Iberi,
Qua rapitur præceps Rhodanus genitore Lemãno,
Interiuſq; premunt Aquitanica rura Gebennæ
Vſq; in Tectoſagos primæuo nomine Belgas,

Totum Narbo fuit. tu Gallia prima togati
Nominis attollis Latio Proconſule faſces.
Quis memoret portusq; tuos, montesq;, lacusq;,
Quis populos vario diſcrimine veſtis & oris?
Quodq; tibi quondã vario de marmore tẽplum
Tanta molis erat, quantam non ſperneret olim
Tarquinius Catulusq; iterum poſtremus & ille
Aurea qui ſtatuit Capitolî culmina Caſar.
Te maris Eoi merces, & Iberica ditant
Æquora: te claſſes Libyci, Siculiq; profundi,
Et quidquid vario per flumina, per freta curſu
Aduehitur, toto tibi nauigat orbe κατάπλους

DE BVRDIGALA, EX QVA fuit Auſonius.

IMpia iam dudum condemno ſilentia, quod te
O patria, inſignem Baccho fluuiisq; virisq;,
Moribus, ingeniisq; hominum, procerúmq; ſenatu,
Non inter primas memorẽ: quaſi conſcius urbis
Exiguæ, immeritas dubitem contingere laudes.
Non pudor hinc nobis, nec enim mihi Barbara Rheni
Ora, nec Arctoo domus eſt glacialis in Hæmo.
Burdigala eſt natale ſolum, clementia cœli
Mitis, vbi & rigua larga indulgentia terræ,
Ver longũ, brumaq; breues. iuga frõdea ſubſunt.
Æſtifluiq; amnes, quorum iuga vitea ſubter,
Feruent æquoreos imitata fluenta meatus.
Quadrua murorum ſpecies, ſic turribus altis
Ardua, vt aëreas intrent faſtigia nubes.

Diſtin-

Digitized by Google

Diſtinctu interiore vias mirere domorum,
Diſpoſitu latas nomen ſeruare plateas,
Tum reſpondenteis directa in compita portas,
Per mediumq; vrbis fontani fluminis aluenm:
Quem pater Oceanus refluo cũ impleuerit aſtu,
Allabi totum ſpectabis claſſibus aquor.
Quid memorẽ Pario contectũ marmore fontem
Euripi feruere freto? quanta vnda profundi?
Quãtus in amne tumor? quãto ruit agmine præ-
Marginis extenti bis ſena per oſtia curſu, (ceps
Innumeros populi nõ vnquã exhauſtus ad vſus?
Hũc cuperes, Rex Mede, tuis cõiungere caſtris,
Flumina conſumpto cùm defecere meatu,
Huius fontis aquas peregrinas ferre per vrbeis,
Vnum per cunctas ſolitus portare Choaſpem.
Salue fons ignote ortu, ſacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, ſonore, illimis, opace.
Salue vrbis Genius medico potabilis hauſtu
Diuona, Celtarum lingua fons addite Diuis.
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemauſus
Purior: æquoreo non plenior amne Timauus.
Hic labor extremus celebres collegerit vrbeis.
Vtque caput numeri Roma inclyta: ſic capite iſto
Burdigala ancipiti cõfirmet vertice ſedẽ.
Hac patria eſt: patrias ſed Roma ſuperuenit omneis
Diligo Burdigalam: Romam colo ciuis in illa,
Conſul in ambabus. cuna heic, ibi ſella curulis.

IVL. CÆSARIS SCALIGERI VRBES.

AD DIVAM CONSTANTIAM RANGONIAM.

Qvam te memorē! totiſque virib. vſa
Natura, Cæli maxima vincis opes.
Nā nec vox, nec mens hominem ſonat, o Dea certe,
O Dea, vel ſi qua ſunt potiora Deis.
Excipe cæleſti tibi debita munera nutu,
Quem Fortuna ſacro numine victa timet.
Hic iterum per me natas miraberis Vrbes:
In quibus & retines Principis ipſa locum.
Stemmata dū Fratris, dum Stēmata dia Mariti
Inſtituis magnos inter habere Deos.
Hinc Mutina, hinc Genua, hinc claris Verona Triūphis
Inuidia incendūt ſæcula tota ſui.
Quam fato maiore viget, potiore Parente
Iuſſibus exultat turba renata tuis.
Diſpertere aliqua: vix nomina ſola ſuperſunt:
Nullaq; quæ non ſit interitura, manet.
Auſpiciis renouata tuis tamē, auctaq;, factū eſt
Per te, ne poſſit amplius vlla mori.

ROMA.

Vos ſeptemgemini cæleſtia pignora montes,
Vosq; triumphali mœnia ſtructa manu,
Teſtor;

Teſtor, adeſte, audite ſacri commercia cantus:
Et Latios animos in mea vota date.
Vobis, dicturus meritis illuſtribus Vrbes,
Has ego primitias, primaq; ſacra fero.
Qui in te vnam laudans, omnes comprēderit. orbem;
Non vrbē, qui te nouerit, ille canet.

VERONA.

Italiæ canimus ſemper florentis ocellum:
Calliope nequeat grandius vlla loqui.
Aucta Deis, auctura Polis Verona Quirites:
Quot ciues, tot habens Sidera digna Ioue.
Non animi, non ingenii vigor acrior vſquam:
Nulla creat plures Martia terra Duces.
Transferre in Cælū voluit ſibi Iupiter. Atqui
Clarior in noſtris maluit eſſe locis.

LVTETIA.

Francigenæ princeps populoſa Lutetia Gentis
Exerit immenſum clara ſub aſtra caput.
Hic Ciuis numerum, Ars precium, Sapiētia finem;
Exuperāt: ſuperāt thura, preceſq; Deos.
Audiit, obſtupuitq; hoſpes: factuſq; Viator
Vidit: & haud oculis credidit ipſe ſuis.

BYZANTIVM.

Europæ impoſita hæc, Aſiæq; obiecta potenti:
Limes vtriq; olim, nunc vtriuſq; caput.
Translato imperio, pariter Fortuna receſſit:
Creuit & auſpiciis maxima facta nouis.
Auxit, qui rapuit: ſed nunc ceruicibus orbis
Imminet. Ipſa etiam Roma ſuperba tremit:
Non vetus illa: nouo meretrix ſed perdita luxu:

Digitized by Google

Quæ nullum crimen, nolle pudere, putat.
Surge ferox, quate, cade: tua eſt victoria. tantū
Miſce armis leges. accipe, daq; iugum.

VENETIÆ.

Peruia barbaricis tellus Oenotria turmis
Pertulit impoſiti pondera dira iugi.
Ipſa ſuos fleuit populares Roma quirites:
Senſit & indomitæ noxia tela manus.
Haud tulit hoc Genius: cuius fatalibus auſis
Tutior in medio Roma renata mari eſt,
Clara virûm Virtus animo: inſatiata cupido
Imperii: vaſta non numerantur opes.
Iupiter, haud temerè tua ſunt ita diſſita Cæli
Mœnia, ſi poſſunt tangere: parte cares.

MEDIOLANVM.

Compoſitos populos, validiq; exordia Regni
Excepit facili terra beata ſinu.
Creuerat Auſonio coniunctus ſanguine Gallus:
Et dabat antiquo fortia iura Pado.
Tertia ſe adiunxit tantis Germania rebus:
Et ſtetit audaci fama parata manu.
Quauis ſimplicibus iactet ſe gloria ſignis.
Cum triplex vni contigit aucta mihi.

PATAVIVM.

Huc antiqua Deûm domus Ilium, & inclyta bello
Robora, Dardanios expoſuere Lares.
Decepti patrias, non victi, amiſimus oras.

Perpetuis res eſt Graca valere dolis,
Qui vicere, ſuos ideo amiſere Penates:
Aſt noua ſunt profugis Regna parata viris.
Arma decẽt Teucros, vafros ſapientia Graios:
Victis Euganeis pectus virumq; dedi.
Regna vides Veneto Phrygiis maiora ruinis:
Atticaq; à Patauo pectore terra ſapit.

GENVA.

Ditis opes Aſia, & claros Orientis honores,
Quantaq; ab Euxino tunditur ora ſalo,
Piſanas acies, Thuſca decora inclyta pubis,
Et traxi ad Ligures Gallica ſigna manus.
Subiectis domitas tenui ceruicibus Alpes:
Et tremuit noſtras Africa dura trabes.
Afflictus toties Venetus, qua fugerat olim,
In patriis metuit tela petitus aquis.
Fruſtra Galle cupis: fruſtra es fruſtrator Hibere,
Fruſtra ſaua ferox Inſuber arma capis.
Vinco ego, cum vincor. par eſt victoria damno:
Sumq; eadem domina, ſeruaq; facta mea.

FERRARIA.

Inclyta qua patulo fruitur Ferraria Cælo
Reginas rerum lumine ditat aquas.
Aurea nobilitas: ſtudiorum nobilis otii
Ingenia: audaci pectore prompta manus:
Magnanimiq; duces, genus alto a ſanguine Diuûm:
Perfugium profugis mœnia ſancta viris.
Vos me luctifica redeuntem è ſtragis aceruis,

Quos vetus ex ima ſede Rauenna gemit,
Germano in pugna amiſſo, fortique parente:
Quo matri victa vita dolore fugit,
Ornatum elogiis, decoratum nomine Regum,
Auctum Felſinea reſtituiſtis ope.
Saluete Heroës, & quæ ſanctiſſima tellus,
Fratriſque, ac matris, & patris oſſa tegis.

ANGOLISMA.

Armipotens rerum præſes Valeſia tellus
Addidit antiquis iam noua iura focis:
Cùm dedit inuictos terrarum lumina Reges
Quo leuius gaudens pondere preſſa volat.
Quam te igitur memorē? neq; enim terrā eſſe fatebor,
Sed cælum: quæ ſic fundis, habeſq; deos.

TVNETVM.

Inuide demolire altas Carthaginis arces:
Quem ſors æqualis, párſque futura manet.
En te inuito iterum florens, exciſa renaſcor.
Te non vinco ego: nec me tamen ipſa premis.

BRVNDVSIVM.

Vt populos ad ſeipſa vocet, procurrit in altum,
Et ſecat æquoreas Auſonis ora vias.
Hinc ſolis proſpectat equos orientis anhelos:
Hinc petit indigenis Africa terra notis.
Illyricas oſtentat opes, animoſque ſuperbos:
Horrificis Boreas quà furit altus equis.
Quo molles natura ſinus dedit alma vocantis:
Hoſpes vt optata ſic potiretur humo.
At non Brunduſium præcinctum præpete portu

Æquat

Æquat inoffenſis vlla carina vadis.
Iam liceat reliquis peregrinas condere puppes
Italiæ at ſtatio vera ſit vna ſua.

BRIXIA.

Quæ pingues ſcatebras ſpecula deſpectat ab al-
Poſtulat imperii Brixia magna vices. (tis,
Cælũ hilarũ, frons læta vrbi, gens neſcia fraudis
Atq; modum ignorat diuitis vber agri.
Si regeret patrias animis concordibus oras;
Tunc poterat dominis ipſa iubere ſuis.

AQVILEIA.

Diua parens terræ, forteis quæ proſpicit Hiſtros
Nobilis Italiæ ianua prima tuæ:
Barbarici miſera incurſus obiecta furori,
Triſtis inhumana facta ruina manu es.
Inclyta pro Heſperiis, ſed cũ cadis hoſtia terris
Non poteras melius viuere tota volens.

RHODOS.

Clara Rhodos, ſed clara olim: nũc horrida nim-
Obnubit nitidum dira procella caput. (bis
Ah dolor, ah mors, ah ſi quid morte atq; dolore
Durius, aut etiam tetrius eſſe poteſt.
Stertitis? & ferus armenti lupus optima carpit?
O iam ſit iam aliquis velle perire pudor.

RAGVSIA.

Quam fera, quamque inculta vides hæc ſaxa
viator:
Tam ſunt ingeniis pectora culta meis.
Munia multa ſenũ complet cordata iuuẽtus:
Et viridis iuuenum multa ſenectus obit.

Digitized by Google

Quod tetricæ rupi natura nouerca negauit:
Hoc eadem natum Mater habere dedit.
Ciuem alibi diuina ſua prudentia terræ
Exhibuit: terram hic ciuibus illa ſuis.

VOLSINIVM.

Hetruſci imperii priſcum caput, aurea ſedes,
Magna vna atq; eadem perdita mole ruit.
Fecit opes virtus: opulentam euexit ad aſtra:
Aſt opibus tumidus luxus ad ima ruit.
Obfuit alta quies, ſeruoq; obiecit inerti.
Eneruant rigidas otia lenta manus.
Quos amat, his iuſto condit Deus acta labore.
Sic mala dura iuuant: ſic bona blanda nocent.

ROTOMAGVS.

Tranquillæ ſpecies, & imago plurima vitæ
Sola, aut cum paucis Neuſtria diues eris.
Illecebræ omne genus fundit tibi blãda voluptas.
Quæ deſunt, orbis nec ſibi totus habet.
Gens numeroſa ferox, Arctoi limina mundi
Mutauit terris vberioris agri.
Expulit affines belli diſcrimine Francos:
Ceſſit & inuictis terra Britanna viris.
Ignoti Oceani domina es. neq; Gallia magnum
Te ſine, Regina nomen habere poteſt.

ALTINVM VENETIAS
alloquitur.

Quanta fui, cuius modico veſtigia tractu

Obruit

Obruit inſani fœda ruina maris.
Sedibus egregiæ doceant illuſtribus Vrbes,
Oppidaq; elapſa condita multa manu.
Aſpice, quo faſtu tumeat Taurıſia pubes.
Vna mei germen ſtipitis illa fuit.
Muranum incolumi cœlo, atq; inſontibus auris:
Et quod maiori nomen ab orbe tulit.
Quaque etiam cœli dicta eſt de nomine Turris:
Cuncta hæc interitus ſunt monumenta mei.
Tu quoque mirifici complens miracula mundi,
Te Regina vagi te voco magna ſoli.
Diſce frui virtute tua, & felicibus orſis
Pars mea: nam totum quàm ſit inane, vides.

TROIA.

Bis vetus euerſum eſt Argiuis Ilion armis:
Bis noua victores Græcia luget auos.
Maxima Troianos retulit cùm Roma nepotes:
Atque iterum, imperiũ cùm modò Turcus habet.

LIPSIA.

Lipſia ſe oſtentans ſublimibus aurea tectis
Lumina dum ſaturat, mens perit icta fame.
Vecta quib. ratibus longinqua marmora terræ?
Vnde frequens flaui pura nitela Tagi?
Huc Cyprũ, huc Temeſum, huc Arabas, huc Serica, dices
Sedibus euulſa huc Indica Regna ſuis.
Cùm gemma bibitur, vincũtur nectare gemmæ
Sed lingua varius vincit vtrunque nitor.

Nec Germana tamen vitiatur Lipſia luxu:
Aſt hunc Germanum Lipſia magna facit.

CYMACLVM.

Cærula piſcoſi quæ complent ſtagna Cymacli
Nais ab Adriacis æſtibus auget aquas.
Squammiger Eois labens exercitus vndis
Ludit, & in refluis agmina iuſta vadis.
Turgeat, & laxis Neptunus gaudeat oris.
Tuta mihi anguſto, certaq; præda gyro eſt.

AVINIO.

Viuendi ratio cum libertate recepta
Efficiunt, vt ſis altera Roma tibi.
Templa, forum, celſo ſubducta Palatia cælo:
Magna hæc. te, plus eſt, dicere poſſe tuum.

TAVRINVM.

Excipiens gelidas patriis ex Alpibus auras
Heſperii princeps vis capit vna ſoli.
Terra ferax gens læta, hilaris addicta choreis:
Nil curans quicquid craſtina Luna vehat.
Ingenium natura aptum, ſed more ſolutum:
Plus animo capiens, quàm dare poſſit ope.
Felix Marte nouo, felix melioribus armis.
Nanq; recens acuet pectora lenta metus.

MASSILIA.

Inclyta Romanis æquata Palatia rebus,
Tam modicis miſerum eſt delituiſſe caſis.
Ah vbi compoſiti mores, ſapienſq; ſenatus?
Obruta ſic veteri mens ſine mente iaces.
In tenui victu tenuis quoq; gloria. ſordes

Plus quã

Pluſquã Græca: humile eſt, & ſine more ge-
Diuinas petiere tuas Gens extera leges: (nus.
Hoc verum dare ſit, nec retinere ſibi.

PISÆ.

Piſa vetus, victi ſpoliis Orientis onuſta
Inuidiæ armaui liuida tela trucis.
Sic nocuit viciſſe. aliis ſic vicimus ergo.
Sic res eſt humili tutior arcta loco.
Mortales ſperate vices, nec credite fatis.
Nam quod nos aliis, illa dedere mihi.

AVRELIA.

Non potuit magni caput eſſe Aurelia regni:
Ergo quod reliquũ eſt, corq; animusq; fuit.
Dat Bellona manum, facundam curia linguã.
Ars potuit nullis vlla latere modis.
Tam come ingenium, tanta eſt prudentia rerũ:
Hæc quod non nouit, Gallia muta ſilet.
Ipſe pater choreas agitans in vertice Nyſæ
Olim aut hinc, aut huc munera læta tulit.
Nil humile, aut vulgare ſonat: magna omnia magni
Quin animum vulgus principis ipſe gerit.
Quæ tibi non ceſſit, totis non ceſſerit orbi.
Cadere nec debes tu niſi ſola tibi.

RAVENNA.

Prima per Æmathias quondã vetus edita ſyl-
Adriacũ ſecuit Theſſala prora ſinum: (uas
Deſertumq; ſolum, triſtiq; informe palude
Muniit: atq; vrbis nomen habere dedit.
Hæc belli ſedes, gelido cum miles ab axe

Proruit, & Graios expulit inde Duces.
Hinc ſedet Illyrici proſpectans prælia Nerei:
Ionius reduci cùm tumet æſtus aqua.
Hinc oculus ſuperiq; maris, terraq; iacentis
Excubat: hinc duris vtraq; meta viris.
Si iungas ſolida liquentia marmora terræ:
In medio tanquam cor, metuenda iacet.

LONDINVM.

Vrbs animis, numeroq; potens, & robore gentiũ,
Vel cunctos præ ſe deſpicit vna deos.
Toruà peregrinis, ſed non & inhoſpita; merces
Vicinis patrias aggerit, atq; petit.
Contemnis, cui das, tãquam iſto munere maior.
Odiſti vnde petis: ne videare minor.
Dicat, quid bello valeas, Aquitania. quid non:
Et Nortman, & cum Saxone Roma vetus.

BONONIA.

Poſt diras rerum clades fatíque ſuperba
Imperia & Martis quæ fera iuſſa tuli,
Hic primùm méque, atq; alios cognoſcere cœpi:
Depoſuíque animi barbara ſceptra mali.
Et didici, quam non fueram, quam deinde futurus:
Quem bona abortiuum ſic tuerere parens.
Quæ cauſſas, quæ cunctarum primordia rerum,
Quæ diuini operis prima elementa doces.
Cœleſtéſque plagas, & ſancta commoda vitæ,
Et ſi qua è numeris nata figura latet.
Cùm reliquas ſuperes diuinis legibus vrbes:

Non

Non ſulci omnigeno germine cedit honos.
Arma viris cõnata: animus conterminus aſtris:
Atq; ardens vitæ ſtat melioris amor.
Si ciues dederas, ſi magna Hetruria leges:
Accipe, quæ poſſis diſcere: reddo libens.

MEMPHIS.

Penè etiam ad nigrã Memphis porrecta Syenê,
Penè etiam Nilo longior ipſa meo,
Inueni tamen extremo ſub margine finem:
Sic ſperare animo, & te decet eſſe tuo.
Africa cur poſita eſt vobis pars tertia mundi?
Tertia quando orbis pars ego ſola forem.

LVCA.

Thuſci delitium, Thuſci laus inclyta cœli,
Iuſtitiæ illæſo robore Luca potens,
Luca potens opibus, felix concordibus armis,
Cui veneranda fides, mens pia, pura manus.
Cœleſtis vegetum comitatur candor acumen,
Ad veteres referens candor acumen Auos.
Iratis igitur dum ſeruit Hetruria fatis:
Virtutis merito libera ſola fuit.

ADRIA.

Olim ingens decus Heſperiæ, lux addita terræ,
Eridani cuius proluit vnda pedes.
Nũc vix nomen habet, lethóque informe cadauer,
Et famulis ſordens Adria putret aquis.
Translatum eſt alió imperiũ, titulíque vetuſti
Ecce, nouos ditat priſca ruina lares.

Dira tamen fruſtra faciat fortuna ſuperbos.
Diſcite, quam valeant ſceptra manere diu.
Nunc agitur melius mea res: ſecura timoris
Cum vigeo, ſortis lege ſoluta mea.

BEROIC.

Si cui ſimplicitas, & priſca ſecula vitæ,
Sors ſine diſsidiis, mens ſine fraude placet:
Ne Scotta dextras, hirſutaque pectora ſpernat.
Haud benè iunguntur, luxus, & arma ſimul.
Nimbiferosque Ioues & iniquas vicimus auras:
Corporaque horrendis ſunt potiora malis.
Iactat Ægypte ſolum. petitus ſit ſortis iniqua:
Sollicita vita ducere ab arte dies.

MANTVA.

Maxima cum veteri turgeret Hetruria regno:
Sceptraque terrarum iungeret aucta mari:
Mole noua tumuit, ſoliisque excreuit auitis:
Vt premeret forti iura aliena pede.
Inde eſt in ſuperas deducta Colonia terras:
Non tamen his potuit Mantua tota dari.
Clara viris, felix ducibus, diuo inclyta Cycno;
Quem vitreis aluit Mincias Andis aquis.
Mantua diues auis, magno non ceſſerit orbi:
Tota tamen parte hac vincitur ipſa ſui:

LVGDVNVM.

Fulmineis Rodanus qua ſe fugat incitus vndis:
Quaque pigro dubitat flumine mitis Arar,
Lugdunum iacet, antiquo nouus orbis in orbe:
Lugdunúmve vetus orbis in orbe nouo.

Quod

Quod nolis, alibi quæras: hìc quære, quod optas.
Aut hic, aut nuſquam vincere vota potes.

LAVRETVM.

Quæ quondã Illyricis ſteterat domus auia ſyluis,
E Solymis fuit hæc ſancta reuulſa iugis.
Ergò quæ Ionii ſuperàuerat æquora tractus,
Adriaci ſecuit æquoris alta vias.
Illa orbis dominum gremio quæ cœperat antè:
Non orbis capiat totius vna preces?
Non mare nauta ferum, non ſaltus feſſe viator,
Non Martis metuas horride miles iter.
Aude etiam peccator, opes tibi poſcere cæli,
E nati vultu virgo ſequeſtra dabit.
Sancta parens: tecũ ille tuas communicat Aras.
Nam tibi quæ dederat omnia totus, habes.
O ſalue exilii virgo ſpes vnica noſtri:
Et patriæ ciuem fac pia Diua tuæ.

NICÆA.

Se negat Italiæ ſobolem Nicæa parentis.
Si non eſſe volunt; nec meruere capi.

ANCON.

Deuictrix pelagi tutis anfractibus Ancon
Oſtentat placidi commoda rara ſinus.
Nimirum dea, quæ voluit capere vrbis honores,
Lenia ſic voluit reddere ſceptra maris.

CANDIA.

Centum olim cinctas operoſis mœnibus vrbes

Digitized by Google

Reddidit ad paucas imperioſa dies.
Oppida parua tamen reor illa fuiſſe: ſed aucta,
Quod deeſt ex reliquis, Candia ſola refert.
Vera equidem fateor Iouis incunabula magni.
Nam liquor haud alibi Nectaris ille venit.

FLORENTIA.

Parua fluentiſonis aggeſta Fluentia ripis
Mollia de nitido nomina Flore capit.
Feſula regnabat: verùm meliora ſequutus
Martius antiquas detulit amnis opes.
Diuitias Hera: Mercurius diſcrimina linguæ,
Mercurius varias ire, redire vias:
Ambitioſa ferox, bellacia, flammea, Mauors
Pectora magnificam docta Minerua manũ:
Iupiter oſtendit cœleſtes mentibus aulas:
Sirenum tribuit dulcis Apollo ſonum.
Vera vetus Romæ ſoboles, aliena requiris:
Mutua quæ proprias vertis ad arma manus?

BVDA.

Threïciis iaculis, ſæuisq; obiecta Sariſſis,
Virtutis Scythicæ lima vetuſta fuit.
Nũc miſera, & miſeræ extremis exterrita fatis,
Olim ab ſe victis ſordida præda iacet.
Diſcite, quid faciat diſcordia pectora, Reges.
Semper ſic odiis diſſita regna ruunt.

NEAPOLIS.

Parthenope varii ſtatuit diſcrimina mundi:
Quæ tria diuerſo tempore ſecla dedit.
Aurea Pythagoras communis commoda vitæ,

Et do-

Et docuit Sophia Gracia magna procos.
Altera ſuccedens ſtudiorum mollior ætas,
Admiſit Muſas debiliore ſono.
Tertia vulnifici quaſiuit præmia ferri:
Atque equitum potuit ſola tenere decus.
Sic ex priuata, & ſerua, Regina ſuperſum.
Roma quod es, fuerā: quæ modò ſum, quod eras.

CALICVT.

Non ſatis hæc fuerit: noto quod perdita Nereo
Hærebat dubiis tunſa carina vadis?
Protinus audaces incognita littora puppes,
Inſtituuntque nouas mortis adire vias.
Sontis tanta ſitis ſeſe tibi colligit auri:
Fatali vt citius morte perire iuuet?
Hic dices animi magni te nomine dignum?
At non eſt, animum perdere, idemq́ frui.

CAPVA.

Flammea ſi valeat ſuperare ſuperbia faſtum,
Pinguem luxuriam delitioſus amor:
Hoc mollem pinges Capuam, Capuaq́ colonos:
Et quæ aliis viſa eſt, nec ſibi meta fuit.

BVRDEGALA.

Oceani timidas furioſo percita Cauro
Expugnat rapidis fluctibus ira trabes:
Perſequiturq́ ferox fugientē ad littora puppim,
Qua tumidus refluo fronte Garumna premit.
Verùm vbi compoſitum populū, ſanctumq́ ſenatum

Cernit, adorato littore fracta iacet.
Qualem hoſpes dicas populum, qualemq; ſenatũ?
Queis etiam viſis æquora muta ſilent.

SENA.

Cùm premere inuictis vicinas viribus Vrbes
Martius imperii ſollicitaret amor:
Abſtinui: & iuſtam colui ſub pace quietem:
Summaq; iudicii maxima, nolle, fuit.
Quot nam oblita ſui, quæ Regna aliena petebãt?
Vt mea ſim: pro me ſit potuiſſe ſatis.

ANTVERPIA.

Oppida quot ſpectant oculo me torua ſiniſtro;
Tot nos inuidiæ pallida tela petunt.
Lugdunum omnigenũ eſt; operoſa Lutetia; Ro-
Ingẽs; res Venetũ vaſta; Toloſa potens. (ma
Omnimodæ merces, artes priſcæq; nouæq;,
Quorum inſunt aliis ſingula, cuncta mihi.

BABYLON.

Heu nuſquam aſpicio rerum miracula turres.
Mortali pereunt omnia facta manu.
Cui momenta poli, & tempus dominatur inane:
Nec rem, nec numerum reddere poſſe reor.
Ah miſeram! quæ ſic poteras periiſſe, nec eſſe:
Nec tunc, cùm poteras eſſe, fuiſſe puto.

PODIVM GABALORVM.

Hîc quoq; te rerũ veneror pulcherrima virgo:
Quamquam ô, quid ſolo te numerare loco?
Hinc me nimboſæ miracula rara Pyrenes,

Hinc

Digitized by Google

Hinc Arnerna abs te me trahit orta ſalus.
Et toto incluſa es toto & diſcluderis orbe:
Nam regis hunc tu, nec te tamen ipſe capit.

TRIDENTVM.

Nobilis Italico quæ prima vrbs imminet orbi,
Auſoniis miſcet Norica verba ſonis.
Romanum ingenium eſt, animus Germanus, a-
Vltio ſi obducta eſt nube ſerena fides. (cerba
Accipere a Veneto, cuius pars, mihi te leges
Hæc potuit ſi non & valet ipſa dare.

HEIDELBERGA.

Nobilis imperio Franconia dextra potenti
Belligero nulli Marte ſecunda viget.
Cum victis ab ſe pepulit vectigal Alanis,
Libera Germano nomine Franca fuit.
Nec contenta ſuis anguſtis finibus (illi
Quæ par virtuti terra futura foret:)
Egreditur: ſuperat. Germani ô pectus honoris:
Victoris victos nomina ferre ſat eſt.
Non aliunde venis: Francus ve eſt Hectoris vl-
Quid petis a victo ſtemata? tota tua es. (lus.

GAIACIA.

Quattuor ancipitis celebrantur ſecula mundi:
Hæc: aurum, argentũ, æs: ferrea quarta fuit.
Quattuor exceſſere ſimul: Nã lignea quinta eſt:
Nanq; vides ligno ſæcla renata meo.

TVRONIVM.

Splendidior nuſquam Gallis opulentia Regnis:
Et nuſquam noſtro maior in orbe nitor.
Non æſtus nocuit pecori, non frigora pomis.

Nec iam hortis certet Græcia fœta ſuis:
Nunc etiam Phrygiæq; nurus, arteſq; Latinæ;
Atque petunt radios Serica regna meos.
Aut ergo hic etiam Elyſii ſunt munera cæli:
Aut nullum vidit Græcia vana ſuum.

TICINVM.

Qua citus Eridani ditat Ticinus arenas,
Gratus honoratas hoſpitis hoſpes aquas:
Lux ſtudiorũ ingens: Regum pulcherrima ſedes
Signat inexhauſti iugera plena ſoli;
Deuicta Italia, reliquis voluere relictis
Magnanimi hac potius parte ſedere Duces.
Pace tua, Heſperia alma parẽs, hæc dixero: quã-
ta es?
Quantáve ſum? totũ es: pars tamẽ vna placet.

NVGAMEN.

Nomina non ponam. tua nomina ponere, nil eſt;
Namquia nil es: ſunt nomina nulla tua.
Liuor edax, fœnus, fraudes, diſcordia, lites:
Barbaricis mendax perdita lingua probris.
Natio mendax, mendax natio, natio mendax:
Quo terra, & cælo teirius eſſe nequit.
Segnis, iners, ſpurca ſub paupertate ſuperba:
Sordenti fatuus luxus auaritia.
Templa vorans attenta ſuperſtitione, ſed extra
Pupille, & vidua, & tu peregrine caue.
Triſte pecus, pigri ventres, mens ſubdola. victa
Fracta es: victricem non ferat ipſe Deus.
Iactabunda: ſed in hoc eſt iactatio: talis,

Inſidiis

Inſidiæ, diræ, iurgia, damna, neces.
Perfidioſa, exlex fera, ceruicoſa, maligna:
Cum vino, & vini turbine cæca Venus.
Venalis pudor: at teſtis, ſe vendere, ludus:
Qui ne quam faciat, laude ſuperbus aget.
Furtis ingenium deeſt, deeſt vis iuſta rapinis:
Sacrilegam tamen hoc ditat vtrumq; manũ,
De magna dictum eſt olim Carthagine, quod te
De minima, de te velle ſilere, pium eſt.

SEGVSIA.

Nec quicquam indomito vallata Seguſia muro
Auſoniis aditum dat tibi Galle bonis.
Gens infida, ferox, animoq; armata bilingui:
Iuratis vnquam vix ſtetit illa Deis.
Sordida mens, lucriq; frequens intenta venenis,
Italici retinens nil, niſi iura loci.
Perſimilis, peiorq; ſuis, ſcelere obruta, ſaxis,
Non ſunt Pontificis noxia ſaxa nece.

VIENNA.

Aſpice barbaricis quæ propugnacula bellis:
Quæ ſtet fulmineis machina torna pilis:
Aduerſus ſpurium, quæ fortia pectora, Turcam
Apparet intrepida Norica dextra fide.
Illa igitur validis aſſultibus irrita fudit.
Prælia, quæ capto fecerat hoſtis agro.
Quin etiam patrii demiſſis turbine Cæli
Auxiliis largo perpluit imbre polus.
Qualia Regna putes, Numen quibus excubat armis?
Nonne Dei eſt, pro quo pugnat & ipſe Deus?

HYDRVNTVM.

Qua breuis aſpectans Cerealem tractus Epirū
Vrget in Ionias brachia longa vias.
Opportuna dolis, & cauti fraudibus hoſtis,
Hic ſita ſum vigili præda petita duci.
Hac igitur firma Italicæ ſunt clauſtra quietis:
Et libertati iura parata tuæ.

MESSANA.

Indomita ſedeo ſpectatrix tuta Charybdis:
Oſtendoq; aliis lumine grata viam.
Mortales, ſi ſic faciam, meliore fruantur
Numine. Nunc homini vera Charybdis homo eſt.

PICTAVIVM.

Si ſtudium eſt anima: veniunt à corpore vires:
Galliaq; a meritis poſcit vtrunq; ſibi:
Hac ſtudiis: alia belli exercentur amore.
Pictauium eſt animus, cætera corpus erunt.

BERGOMVM.

Ingenium, corpus, mores, obtutus, amictus,
Tecta, cibus, greſſus, guttura, ſermo, ſonus:
Omnia craſſa modis inſignibus, omnia dura:
Sic, valeant ſilices vt ſuperare ſuos.
Iſta domi: ſed vicinus ſi aſpergat acetum:
Artibus atque dolis vincitur ipſe ſuis.

LYSIPONA.

Ergo grauis grummus quo pallidus emicet auri
Inſomni tellus ſciſſa ligone gemit.
Cernis, vbi aduectus peregrinis flatibus orbis?
Cernis, vbi in paruo eſt India tota ſinu?

Preſſa

Preſſa maris facies: domita eſt violētia Cæli.
Quid reliqui eſt: niſi tacarpere ſceptra Poli?
Haud potes eſſe Deus: nō vis homo viuere. Sors te
Ex homine egreſſum tertia quando capit?

SALERNVM.

Quæ Boreæ gelidas furias contēmnit ouantis,
Torua procelloſi deſpicit arma Noti.
Medorum & ſyluis fœcundas prouocat auras:
Fundit & a biferis Indica dona iugis.
Protinus Autumnus Veris cum tēpore certat:
Et Ver cum Autumni tempore certat item.
Huc acceſſit Hyems vernantibus vda capillis:
Et peperit mirans, & ſibi poma legit.
Tuta mari fruitur terra dominatur amata:
Et Cæli mutat iura: quid ergo? Dea.

TOLOSA.

Quiſquis es, impura damnas qui voce Toloſam:
Diſce verecundo plenius ore loqui.
Fœta malis, infenſa malis: cum crimine iuſta
Exercet leges legibus orba ſuis.
Cogitur, a propriis aliena viuere mente,
Aſpera crudeli ſub pietate parens.
Magna quidē, ac Frācis æquata ſuperbia terris,
Vt iam iam ſeipſam vix tolerare queat.
Sumptus inexpletus ciues ſpoliauit inertes.
Sic Diues viuit, vt moriatur egens.
Inde vafer mercator agris ſucceſſit ademptis:
Ingeniiq; frequens aduena fretus ope.
Mox ſeipſum ignorans, ſortisq; oblitus auitæ

Certat cùm nitida, nobilitate, domo.
Quid ſupereſſe bonis? bona quid ſupereſſe putandum
Ante ſua hunc, hunc nec poſt ſua fata mori.

DERTONA.

Si faciles animos, ſi candida pectora quæris:
Quæq; docent claros Nomina magna viros:
Magnifico Dertona tibi dabit inclyta cultu:
Inclyta, ſed quondam: nunc maleculta ruit.
Nimirum quod ſemper erit, huic contigit Vrbi,
Vt ſemper noceant ſæcula praua bonis.

COLONIA AGRIPPINA.

Maxima cognati Regina Colonia Reni,
Hoc te etiam titulo Muſa ſuperba canit.
Romani ſtatuunt: habitat Germania: terra eſt
Belgica: ter felix. Nil tibi Diua deeſt.

VICETIA.

Bacche pater, Ceres alma, bona bona Numina pacis:
Quæ patulos agros, qui iuga curua tenes:
Quid rerum, quid amicitiæ cum Marte cruēto
Vobiſcum? veſtrū vt vexet vtrunq; furor?
Pulchra racemiferos domitat Vicetia colles:
Lætaq; ſpicilegi iugera findit agri.
Cædis amor, cædis germana inſana cupido:
Nec patrius nato eſt tutus ab hoſte cruor.
Nuſquā iter eſt. vaſtata iacent latrone pterua
Ruſcula: corruerunt ignibus hauſta ſuis.
Parce (nefas) ſcelerare manus gens debita Cælo:

Imbueq;

Imbueq; ignoto pectora digna Deo.
Diuina facies regio cæleſtis: at huius
In Cæli medio Tartara dira vigent.

ATHENÆ.

Hic, vbi diſiecta fruſtra quæruntur Athenæ.
Quæruntur Graii mens, manus, arma ſoli.
Lignea viciſti. victricem fata Periclis
Marmoreã faciunt. nunc miſerãda, quid es?

CAIETA.

Te quoque cedentem Natura Æneïa nutrix
Heſperio retinent litora curua ſinu.
Iuſta pius fecit, tumulumq; ſacrauit alumnus:
Vnde tuum in noſtro nomine nomen habes.
Reddere non potuit, deerat quod legibus aui:
At data, quod potuit, vita ſecunda tibi eſt.

CARNVTES.

Sæcula communes habeant ſibi cætera laudes,
Vina, feras, ſegetes, mœnia, bella, forum:
Huc ſua contulerunt omnes arcana Sibyllæ:
Cùm dicta eſt Virgo, quæ paritura foret.
Credidimus prius, atq; fuit, ſi credere, vita eſt;
Sic nós, quàm eſſemus antè fuiſſe palam eſt.

CROTON.

Virtutis faciem, ac numeros metire Viator,
Siue oculis, ſeu tu mente Crotona vides.
Quot ciues, tot victores. Nam nomine palmas
Pauperis eſt populi dinumerare ſuas.

SENONES.

Quæ Senonum vires, & quanta potentia ferri:

Traiectaq; Alpes, captaq; Roma docet.
Hiſtrum, atq; Illyricũ ſuperant Martiſq; mini-
Qua Boiana tuas Scopia ſuggit aquas. (ſtrũ:
Subdit ſe Macedo, ſummittit Achaica tellus:
Horridaq; armigero Thracia cedit equo.
Atq; hinc res Aſia tremefacta, & inhoſpita Põti
Litora, & Armenios qua colit ora Duces.
Hac ſumma eſt populis, caſtris, & Regibus horũ
Armorum arbitrio ſors rata quaque fuit.

TARENTVM.

Mollia qua tenuis demittunt pondera lana,
Tonſa Tarentinis iugera lata iugis:
Hac eadẽ complent vegrãdibus horrea culmis,
Et tua ſub prælum munera Bacche ferunt.
Nulla eſt in Latio Pomona beatior vſquam:
Nulla eſt Heſperidum gratior aura locis.
Se totum exhibuit lauta ad cõuiuia Nereus:
Seruit & innumeris proxima ſylua feris.
Hic Ver perpetuum eſt, tantũ pro frugib. æſtas.
Nectareas ſuperant Sidera fœta dapes.
Quod ſi Cælum imis vellet mutare ſuperna:
Haud aliis poterat plenius eſſe locis.

PRAGA.

Septa metallifero circum qua mõte ſuperbis
Hercinia in medio Martia Praga ſinu,
Linque aliis populis tanta munimina ſedis:
Qui nequeant armis iura tenere loci.
Nanque tuum eſt, non præſidia turgere lacertis:

Sed loca præſidiis fidere poſſe tuis.

MVTINA.

Neſcit quo potius tumeat Rangonia tellus:
Tot ſe fama noua vertit in ora vetus.
Fama vetus, tot fama recens ſe vertit in oras:
Vt tituli numeros neſciat ipſa ſui.
Mars catus inuictis admiſcet viribus artem:
Ardua ſic gemino nomine bella docet.
At Venus ætherias cum finxerit aurea formas:
Verborum adiunxit pondera picta modis.
Inde triplex liquidos animos inſpirat Apollo:
Inde triplex nitida gratia iuncta manu.
Nulla deeſt Erato: capiet te candida Pitho,
Vt mox oblitus tu videare tui.
Neſcit quo potius tumeat Rangonia tellus:
Ergo nec dignum, velle tumere putat.

MOSCOVIA.

Non veteri nos more fero nunc cedimus hoſti:
Nec bellare monent condita buſta Patrum.
Protinus aſpectis mittuntur ſpicula turmis.
Conſeritur preſſo comminus hoſte manus.
Artibus his Scythicas treis iã deuicimus Hordas.
Arteis has etiam Turcica ſigna tremunt.
Huc ſimplex victus, fatorumq; æmula Virtus,
Hos parêre ſimul, hosq; iubere docent.

PARMA.

Inuentum mediis præclarum nomen in armis,
Prædita quo ſit gens ignea Marte docet.

Ingenium rapidum facilè flammatur ab ira:
Sed viget in patulo pectore purus amor.
Magnanimo, precium eſt, non diſplicuiſſe pudori.
Hoc ſatis. officiis cedere turpe putat.

MAGDEBVRG.

Vos ego magnanimis inuictos Saxonas armis,
Atque graues Martis turbine canto duces,
Non Macedo tu miles eras. Sic Gracia mendax
Facta tua in laudes tranſtulit alta ſuas.
Non veteres huc te quondam miſere Britanni:
Quin iam ſeruiuit terra Britanna tibi.
Ipſa tua es primumque tuis cum montibus orta:
Cum Cæli ipſius finibus orta tui.
Diues agri, diues quæſita veſtis, & auri:
Gens dubium eſt, armis iuſticia ve prior.
Eſt hominis, patriis alios bene vincere telis.
Iuſtitia teipſam vincere velle: Dei eſt.

LVNA.

Proſpiciens tumida terram Neptunus ab vnda,
Oppida perdoluit condita nulla ſibi.
Immiſitque ſalum, merſitq; ſub æquora Lunam:
Merſaq; ſic famulis nunc dominatur aquis.

FRANCOFORDIA.

Multa laboratis debet Francfordia ſulcis:
Multa racemiferis vinea culta iugis.
Quid referā, quanta & quæ conuexere metalla?
Quæ Mars bellipotens, quæ petit alma Ceres?
Huc Italus patriis miratur partibus orbem,
Adue-

Aduectũ huc ſtupida eſt Gallia magna ſuũ.
Hic oriens, hic terra nouis comperta ſub aſtris
Agnoſcit Genti ſemina plena ſui.
Nec tamen in brutis ſola hac commercia rebus:
Hic animi æterna ſed cumulantur opes.
Quod ſi res, paucas operoſa eſt dicere merces:
Non magis eſt, cunctas res operoſa dare?

PLACENTIA.

Nobilis antiquo porrecta Placentia muro
Hinc hoſtem, hinc rapidas fluminis arcet aquas.
Rara artes gens ſcita, hilari ſed dedita luxu.
Ingenium auguſta vix patiuntur opes.

NANETES.

Vicit Aremoricas animoſa Britannia gentes:
Et dedit impoſito nomina priſca iugo.
Nunc etiã patria remanent commercia lingua:
Vltimaque à Gallo diſcrepat ora ſono.
Impauidum genus; Argiua gens docta palæſtra:
Nec minus in bellis vtilis, acer eques.
Par domino quadrupes, ſæuis haud ſegnior armis:
Reſpõdent animis robora firma feris.
Gens tamen hac eadem patriis intenta choreis
Laxat inexpleto pectora læta mero.
Tanta etiam pecoris, tãta eſt opulentia frugũ, vt
Cum Cereris certet vomere magna Pales.
Quid varias referã piſcoſa ſub æquora turmas?
Abditaque ignoto litora capta mari?
Ne partire plagas, vt partis des mihi partem:
Sed Galli hæc dicas integra Regna ſoli.

SYRACVSÆ.

Illa, ego ſum Romæ labor, atque iniuria Pœni,
Pro me etiam ſtragis Græcia ſenſit onus.
Figere quæ voluere aliis in ſedibus arma:
Exturbata iacent ſedibus orba ſuis.

CRACOVIA.

Martia Sarmaticis tentata Croatia nimbis
Arcigeri pugnax ſpicula fregit equi.
Hinc belli fortunam armis, finemq; ſequuta
Germana Hercinijs expulit arma iugis.
Quaque patet ſolis fugiens Lituania campis,
Victrici impoſuit Martia ſigna manu.
Moſconiisq; docet, Turcisq; auguſta trophæis,
Vicinis quantum ſit bene tuta quies.
Teſſara certa manu ſtat belli, & pacis: vtramuis
Si des, accipiam: vel cape, namq; dabo.

PERVSIA.

Sanguineo audaci connata Peruſia ferro,
Tanquam hoſti temere ſæpe inimica ſuis,
Partibus imperium, vitales partibus auras
Colligit inuiſis partibus atra Deos.
Væ tibi, ſic odio quæ te partiris amaro,
Eſt, quæ non toto eſt corpore tota, nihil.
Quin etiam fera iura tui ſcripſere coloni:
Quæ iubeant tetras ſemper habere manus.
Veſtrarum hæc igitur ſumma eſt ſapientia legũ.
Nolle placere aliis, velle nocere ſibi.

AMBIANVM.

Terrori fuerat peregrinis Gallia turmis:

Terrori Gallis Belgia ſola fuit.
Germanus Belgas cum vincit: Belgica Belga
Cùm tueor, Belgii Belgia ſola fui.

VALENTIA HISPA-NORVM.

Vna tibi ante oculos populi ponatur imago:
Cætera iam ex illa Natio tota patet.
Ægra Ceres: Regio torrenti infamis ab æſtu:
Arida Cerbeream colligit aura ſitim.
Nuſquam tutus abit rapido latrone Viator:
Nam probus, & pius eſt tollere ludus opes.
Tum tua poſcenti exprobrat tibi linquere vitã.
Deq; libertatis præmia dura, mori.
Faſtus inexhauſtus: luxus ſub paupere vita:
Et furiat mentes gloria vana feras.
Quæ liquere hoſtes, ea cuncta vorabit amicus.
Nil vbi promiſit, tunc tibi tuta fides.
Tuta fides fortaſſe. quid hac ſub tartara tutum?
Ah non ſe tutum ſi velit eſſe Deus.
Plusquã hoſte, eſt verũ Regnũ, hoſpite poſſe ca-
Afflatus ſolo nomine pauper eris. (rere.

VENVSIVM.

Parua quidẽ, atq; humilis, pene & ſine nomine tellus,
Aut par, aut maior te, tibi Roma fui.
Cæde furis: peperi tranquillum ego lenis Olorẽ,
Cuius ope ad multos vita perennis eat.
Cuius ope effectum eſt: vt quæ ruitura fuiſti:
Vel nunc, cum nihil es, tu quoque viua voles.

ARIMINVM.

Priſca fui quondam ciuilis meta furoris:
Sed non fortuna meta futura fui.
Non tunc arma togæ, non ceſſit Laurea linguæ:
Cæſaris eſt facere, haud ſub Cicerone loqui.

DYRRHACHIVM.

Cui quondam fuerat priuatum nomen Epirus;
Albani ad Titulos tranſpoſuere ſuos.
Fortis erat gens priſca: ſimul ſed fortior hæſit.
Grandius effectum eſt inſitione genus.
Cum trãslata alias generoſa armenta per herbas
Diſpereant: videas, pabula quanta ferant.
Cum pudeat Phrygias mirari Gargara meſſes:
Hic Cereris, dices, Thenſa beata manent.
Vitrea cum tepidis coquitur vindemia ſaxis:
Iurabis madidi Gnoſſia dona Dei.
Hoc etiam illa potens tremuit ſub milite Roma:
Ne tu his arma opibus debilitata putes.
Ergo animis vacuis aliena pericula cernens,
Vincere dum credit eſſe, carere malis,
Vicinus ſibi ſpem promittit, & otia: caſſos
Subſidiis, ſerui nomine Turcus habet.
Aſt videas quanti faciat duriſſimus hoſtis:
Fortia cum noſtro robore bella gerit.

CREMONA.

Quis modus eſſet agris, & quanta licentia frugum,
Verba peregrina Gallica voce notant.

Inde

Digitized by Google

Inde ſolum nati lætum dixere Cremonam,
Quin Latio vox eſt delitioſa Cremor.
Vſq; adeo longo reddit cùm fœnore tellus:
Præteritiq; hornus commoda ridet ager.
Deficit & cultrum, & vomer: non deficit vber:
Laſſa manus, trita ſarcula, feſſa Ceres.
Reddant penſum alia: noſtra lex vnica terra eſt:
Et votum Domini, & ſpem ſuperare ſui.

LVBECA.

Si referam: mihi quis credet? ſub limina Mundi
Vltima legiferi iura vigere Dei.
Ingenium, candorem animi, cultumq; fidemq;,
Fortiaque inuicta pectora pura manu,
Dum mirata ſtupet terras Aſtræa relinquens,
Atque putat Cæli Regna, reſedit ibi.

FAVENTIA.

Pars magna Italiæ duro diſcrimine rerum
Clara Fauentino milite ſceptra capit.
Quòd meruit decus inuictis Heluetius armis:
Quod conducta ferox Brennus ad arma fuit:
Hoc ſumus: hoc fortis meruit vis ignea dextræ:
Arbitrio cuius Numina regna parant.

NARBONA ET
BAIONA.

Erectæ geminæ dubio pro limine turres
Abſterrent patriis hoſtica ſigna bonis.
Vtraq; perpetuis fera Gens exercita bellis:
Vtraq; vicinis Gens inimica ſuis.
Frangit inacceſſo aſſultus diſcrimina muro:

Quiq; magis terrent, hos timuiſſe facit.
Illa ferox opibus, hac paupertate ſuperbit:
Hac Ciues alit, hac ridet in hoſte famem.
Viuite felices, ac res firmate ſecundas:
Et bene cum veteri ſit noua iuncta fides.
Pro tantis meritis gemina Vrbs tutiſſima, rebus
Promotis, illi tu, excubet illa tibi.

PISAVRVM.

Hic Roma fulſit primum ſpes vltima victa:
Vnde loco, atq; vrbi nomina ducta canunt.
Dum Gallus Romana actis imitatur auitis
Arma, premens arma Romula victor adeſt.
Poſtquam è ſollicita poſuit diſcrimina mente:
Torpuit occulto dextra ſoluta metu.
Ah quid agis ſoboles priſcorum inuicta Deorũ?
Rerum, non auri ſumma petenda tibi eſt.

TVRCICA.

Ne teneras forti victas Legione cohortes
Cum querulo doleas murmure miles iners.
Impia néve pio facias conuïcia Cælo:
Pectora quod teipſo caſſa fouere neget.
Imbellis ne habeat, poſuit quæ fortibus? an tu
Hoc ſeruili animo libera Regna feras?
Frigora pigra tibi ſtudio dominantur, & æſtus:
Gurgiteq; inſano fœda vorago gula.
Conciliat mollis quæſitos ſtragula ſomnos:
Huic labor in dura, mollia fecit, humo,
Ipſe cibum & ſibi fert, ipſe & ſibi decoquit. ipſe
Crudum, ſi non ſit igne domare, vorat.

Tu que-

Tu quereris corrupta vndis tibi numina Bacchi:
Sæpe etiam ſordens huic leuat vnda ſitim,
Denouet ille ſuo concordia pectora Regi:
Te quatit inſana ſeditione furor.
Mirum, Romanis propius qui acceſſerit armis,
Roma fata gerens, ſi ſibi fata trahit?

OPPIDA BENACI.

Terra, decus Cæli, curuas quod proruit vndas
Cùm furit Æoli Norica turba gregis:
Vos ego Siderei mea maxima numina colles,
Inter præcipuos exul adoro Deos.
Haud procul hinc tetigi vitalis liminis oras:
Atq; hauſi vitæ prima elementa rudis:
Balde procelloſos aperis vbi vertice nimbos:
Benaciq; graues fluctibus addis aquas.
Huc me Diua Parens à magno miſſa Parente
Tranſtulit: & lucem ſancta videre dedit.
Vt miſer exciperem ſoliis excluſus auitis
In patrio ſaltem lumina prima ſolo.
Pene quidem expoſitus, quales & Cyrus, & ille,
Qui Marti poſuit mœnia clara, fui.
Quinetiam ſola illorum malè prodita cernis
Corpora: ſed geminum, cumq; parente meũ.
Tantum fata queunt, tantum indignatio cæli:
Vt precium hoc animi ſit, voluiſſe malum.
Certè equidem hoc ego credo bonum: tamen illa pericli
Semina agunt, mentem ſolicitantq; rudem.
Quid ſi me ô Genitor crudelis, perfidus hoſtis?

Digitized by Google

Quid geminum corpus,cumq; parente meũ?
Quanta fuit non victi animi expectatio rerũ:
Tanta eſt ſpes, cum ſpe perdita tota ſimul.
Nil potuit maleſaga mali mens percita fati,
Tu moreris:quæro munera mortis ego.
Dii patrii Indigetes,Dii deficientis Iulii:
Et vos Scaligeræ numina priſca domus:
Quæ mihi contigerunt primæ poſt munia vitæ,
Ah ſaltem à patria vos prohibete mea.

HIERVSALEM, BETHLEEM & Nazareth.

Hîc genua, hîc animum, hîc lacrymas, hîc carmina pono:
Mensq; mea ad patriũ ſubuolat aucta polũ.
O promiſſa nouo, populo promiſſa vetuſto:
Quæ libertatis iura beata dabas:
Cur vidua,orba, iaces? Sãcti quæ vulnera vul-(tus?
Quis fuit ætherias qui ſcidit ille genas?
Quam te terra canã? cælũ quæ facta ſerenũ es.
Nos facti è cælo ſordida terra ſumus.
Tu nec laudis eges: nec noſtro augebere cantu:
At me abs te dici, gloria vtrinq; tua eſt.

NVREMBERGA.

Diua mihi extremi da munera ſacra laboris,
Non tamen extremo conſpicienda loco.
Sed velut abducto veneramur in ordine cælum,
Hic vbi natura fine quieuit opus.
Non potes æthereis deducere ſedibus aſtra:
Inuenies, tibi quæ Norica terra dabit.

Hunc

Hunc ſibi corruptas terras Aſtræa relinquens
Fatali ſtatuit ſede tenere locum.
Quis putes horrifico ſociatas Marte Camœnas?
Sacra tamen duplex tempora laurus obit.
Martis habe & Phœbi felicia tempora lauri:
Sanctaq; ſit valido fœdere iuncta fides.
Omnibus ex iſtis ne tu ne demſeris vnum;
Addere quin potius omnia magna tuum eſt.

IANVS VITALIS PANORMITANVS.

DE ROMA.

QVi Romam in media quæris nouus aduena Roma,
Et Roma in Roma nil reperis media:
Aſpice murorum moles, præruptaq; ſaxa,
Obrutaq; horrenti vaſta theatra ſitu:
Hæc ſunt Roma viden' vel vt ipſa cadauera tã-
Vrbis adhuc ſpirent imperioſa minas? (ta
Vicit vt hæc mundum, niſa eſt ſe vincere: vicit:
A ſe non victum ne quid in orbe foret.
Nunc victa in Roma Roma illa inuicta ſepulta (eſt,
Atq; eadem victrix victaq; Roma fuit.

Albula Romani reſtat nunc nominis index,
Quin etiam rapidis fertur in æquor aquis.
Diſce hinc, quid poſſit fortuna: immota labaſcunt.
Et quæ perpetuò ſunt agitata, manent.

ANT 1317471

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8103

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIO
Vitt
X